

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Tobias Gottfried Hegelmaier    Christophorus Fridericus Keller

**Dissertatio Theologica Dogmatica De Theopneystia Ejusque Statu In Viris  
Sanctis Librorum Sacrorum Auctoribus ; Quam Deo Adjuvante Rectore  
Universitatis Eberhardino-Carolinae ... Domino Carolo Duce Wirtembergiae Et  
Tecciae Regante, Rel.**

Tubingae: Reissianus, 1784

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn819366536>

Druck    Freier  Zugang





*Lee 1583.*



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn819366536/phys\\_0003](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn819366536/phys_0003)

DFG



**DISSERTATIO THEOLOGICA DOGMATICA**  
DE  
**ΘΕΟΠΝΕΤΣΤΙΑ**  
**EJUSQUE STATU**  
**IN VIRIS SANCTIS LIBRORVM SACRORVM**  
**AVCTORIBVS.**

---

QVAM  
DEO ADJVVANTE  
RECTORE VNIVERSITATIS EBERHARDINO-CAROLINÆ  
MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO DVCE ET DOMINO  
DOMINO

**C A R O L O**  
DVCE WIRTEMBERGLÆ ET TECCÆ REGNANTE, REL.  
P R A Æ S I D E  
**TOB. GODOF. HEGELMAIER**

SS. THEOL. DOCT. ET PROF. P. ORD. SEMIN. THEOL.

SUPERATTENDENTE  
FACVLT. THEOL. DECANO  
DIE JUNII MDCCCLXXXIV  
H. L. Q. C.

PVBLINE DEFENDET

**CHRISTOPH. FRIDER. KELLER**  
*Marggroeningensis*

PHILOSOPHIÆ MAGISTER ET EXAMINIS THEOL. CANDIDATUS  
IN ILLUSTRI STIPENDIO.

---

**TVBINGÆ, LITTERIS REISSIANIS.**






L. S.

**N**on heri demum vel nudiis tertius in eam descendimus sententiam, quam Schediahma hocce exponit; seni- na potius illius dudum sparsimus in aliis scriptis; maxime in Thesibus de Scriptura S. subnexis superiore anno Diff. de libero S. S. usu, plebi christianæ diu denegato, tan- dem hic ibi restituto; nec, qui preelectionibus nostris publicis adhuc vacarunt, a nobismet ipsis nos dissentire deprehendent. Tandem vero, quae paſſim, prout occasio ferebat, diēta sunt, copiosius atque in nexu edifferenda putavi- mus, ob continuos, eosque acriores in dies, impetus, quos varii generis adversarii in doctrinam de Θεοπνευστικη Scripturæ faciunt, qui vix repelli porro poterunt, nisi id, quod Scriptura vere docet, solicite distinguantur, immo iterum separetur, ab eo, quod Ecclesia, optimo sane ac religioso

)C 2

con-



consilio, sed non praevidens futura, sensim sensimque ad-  
jecit.

Potest Castellum, in se inexpugnabile, multis subinde  
munimentis accessoriis augeri amplificarique, per quae e-  
longinquo adspicientibus nigrum quantum novae firmitatis  
videtur accepisse: fieri tamen aequa potest, ut, si quis archi-  
tecturae militaris peritior omnem istorum propugnaculorum  
vallorumque ambitum propius examinat, ille adeo non  
idem sentiat, ut potius haec  $\mathcal{E}$  illa obscientibus magis, quam  
obsexis, aliquando profutura praenunciet. Invictum quidem  
stabit Castellum ipsum; at frequentiores tamen hostium as-  
sultus experietur, quos  $\mathcal{E}$  facile invitat quarundam mini-  
tiorum infirmitas,  $\mathcal{E}$  primi quique successus ferociores red-  
dunt ac pertinaciores in oppugnando. Eundem in modum,  
quando veritatem alicujus doctrinae pluribus, quam necesse  
erat, subsidiis fulciendam ac firmandam nobis sumimus, ma-  
gna cautione opus est, ne in numero tandem confidamus,  
ignari, vel minus certe attenti, quid singula valeant, quid  
non. Veritas, ut ajunt, in puncto consistit; utro ex latere  
evagenuit, sive dextro, sive sinistro, res periculum habet;

atque

❧

atque sic, dum animus nobis est, argumentis studiofissime  
conquisitis veritatem tueri, aequo peccare possumus in ex-  
cessu, quam in defectu.


Liceat candide profiteri, ejusmodi quid peccatum fuisse  
a Theologis superiorum temporum in doctrina de Deontologia  
Scripturae S. Notum quippe est, ante 3<sup>o</sup> sub initium  
sec. XVII. universum argumentum de Scriptura S. paulo  
aliter tractari coepisse in scholis theologicis, quam quidem  
Reformatores ipsi illud tractaverant. Nec tamen excusandi,  
sed laudandi sunt boni Viri, quod, temporum necessitatibus  
obtemperantes, nimium in hac re fieri quicquam posse, ne  
suspicabantur quidem. Sic, ne Pontificis aliquis, ad min-  
nuendam Scripturae S. auctoritatem, aditus pateret, inspi-  
rationem Scripturae ad singula usque verba extendebant,  
nec minus pro singulorum verborum authentia, forma, situ  
3<sup>o</sup>. fortissime pugnabant. Sic, ne Fanaticis quicquam con-  
cederetur, statuebant, Scripturam omni sua illuminandi vi-  
vificandique virtute extra usum adeo pollere. Num vero 3<sup>o</sup>  
una 3<sup>o</sup> altera sententia, 3<sup>o</sup> sic aliae quoque, certam habe-  
rent veritatem, segnius investigari solebat, quia Scripturae



dignitatem amplificare videbantur, quam nimis extolli non posse, omnes, uti pie, sic recte omnino credebant; at limites nunquam migrari debebant, quos ipsa Scriptura constituerat.

Nostra aetate, cum non jam Theologorum, sibi invicem suffragantium, auctoritas rem conficiat, sed omnium pene ordinum Christiani, quotquot nimirum explicatiorem certamque religionis cognitionem querunt, quaerere ad minimum videri volunt, ex sola Scriptura doceri convincique velint; res ipsa T̄ suadet T̄ poscit, ut in determinandis singularis ejus doctriniis intra illos ipsos fines non contineamus, quos principium cognoscendae religionis revelatae ipsum, idemque, ex mente Protestantum, unicum, Scriptura, designavit. Dolendum quidem quam maxime est, fuisse inter Viros eruditos, qui, dum alterum extremum vitabant, atque sic non unam Scripturas lacescendi occasionem adversariis feliciter praecidebant, in oppositum vitium delapsi, nimium detraherent augusto Sennacus praedicato; nec tamen nos de tota hæc causa minus bene ea propter speramus, nec permanens isthac damnum fore existimamus, cum semper ita tulerit humana infirmitas, ut, in extremis prius oberrantes,


tes,



tes, ad puram sinceramque, quae in medio sita est, veritatem per ambages tandem deveniremus.

Median hancce viam, eamque planam & rectam, hoc in Schediasmate nos tenuisse, apud aequos & intelligentes judices haud difficulter obtinebimus. Quis enim Dogmaticum damnabit, qui longius, quam per Scripturam ducitur, progredi veretar in re, cuius, sine Scriptura, ne idea unquam in animis hominum exstisset? Afferant, qui contra sentiunt, clara Scripturae verba, ex quibus Deontenstas objectum latius patere, quam nos definimus, certo appareat. Agnoscimus & nos, ac reverenter habemus validitatem conclusionum, ex disertis Scripturae verbis deductarum; sed diffidere licebit conclusionibus, quae cum aliis vel dictis vel factis, ejusdem Scripturae auctoritati innixis, aperte pugnant.

De Statu Deontenstas, quod nos sciamus, nemo adhuc paulo uberioris, & ex professio, ut loquuntur, praecepit. Nobis tamen necessarium videbatur, actum & statum hac in re distingui, etiam ideo, quod actus Deontenstas modo intransitive sumitur, modo transitive, non sine ali-



aliquo confusionis periculo. Status Deontreusias imice restrin-  
gitur ad subiecta, quibus illa obtingit.

*Si quis forte in tota hac scriptione non plus invenerit,  
quam Commentarium in locum B. WEISMANNI infra ex-  
hibitum, nil repugnamus.*

*Liceat tandem, fateri, nimium nos tribuisse auctoritati  
Lexicographorum negativa p. 10 § 17. circa usum vocis  
Deontreusos apud Patres. Legitur certe aliquoties apud ORI-  
GENEM L. IV. de Principiis; forte etiam alibi.*

*Scripsi Tubingae d. XIV Jun. MDCCCLXXXIV.*



CON-

## C O N S P E C T V S.

I. Orditur Tractatio a loco paulino 2 Tim. III, 16. sine quo nomen Θεοπνευστος prorsus forte ignoraremus, &

1) ostendit

a) sermonem ibi esse de Libris V. T. §. II.

b) vocem Θεοπνευστος esse praedicatum της γραφης, non partem subiecti. §. III.

2) objectionem occupat, quod tam multa insunt in his Libris, in quibus non opus erat Θεοπνευστια. §§. IV. V.

3) tolli posse objectionem docet

a) vel assumendo locutionem synecdochicam, quod tamen rejicitur §§. VI. VII.

b) vel inquirendo, ope synonymiae & parallelismi realis, in usum vocis Θεοπνευστος, solo hoc loco in S. S. occurrentis, apud profanos, ecclesiasticos & biblicos scriptores §§. VIII-XV. ex quibus conficitur,

α) duplēm sensum hanc vocem habere, tam latum quam strictum, qui & etymologicus dici potest. §. XVI.

β) magna hanc distinctionem commoda secum ferre. §. XVII.

II. Proprius accedit ad probandam Θεοπνευστιαν Scripturæ N. T. §. XVIII. eamque tuetur

1) ex promissionibus Christi,

a) restrictis ad Apologiam Evangelii §§. XIX - XXI.

b) universalioribus §§. XXII. XXIII. ex quibus tandem determinatur objectum Θεοπνευστιας

α) stricte sumtæ §. XXIV.

β) latius acceptæ §. XXV.

2) ex complemento harum promissionum, quod

a) dicta & facta Apostolorum abunde comprobant. §§. XXVI. XXVII.

b) at ipsa tamen rei natura quodammodo limitat. §§. XXVIII. XXIX.


3) ex statu Θεοπνευστιας, de quo

a) datur definitio generalis §. XXX.

b) questiones specialiores enumerantur §. XXXI.

) ) )

α) Num



- ¶) Num status ille aliquid permanens , an transitoriem fuerit? §§. XXXII. XXXIII.
- β) Num beneficio Θεοπνευστας , Apostoli fuerint infallibles? quod affirmatur , sub limitatione tamen ; petita
- ¶) ex scopo Θεοπνευστας . §. XXXIV. sublata etiam objectione speciosa . §. XXXV.
- δ) ex ipsa Historia apostolica §. XXXVI. unde colligitur
- 1) neque omniscios §. XXXVII.
- 2) neque impeccabiles fuisse Apostolos §. XXXVIII.
- ¶) quæ sub statu Θεοπνευστας donorum & qualitatum naturalium, quibus sancti Viri pollebant, fuerit ratio, quisve usus? §. XXXIX
- δ) quibus criteriis status Θεοπνευστας potuerit distingui \*
- donis spiritualibus & supernaturalibus
- ¶) ordinariis §§. XL. XLI.
- δ) extraordinariis §. XLII.
- ε) quomodo in specie linguarum donum ad Θεοπνευστας ejusque statum se habuerit? cuius doni proponitur
- ¶) singularitas & magnitudo §. XLIII.
- δ) vera ratio & scopus, in Apostolis & aliis. §§. XLIV-XLVII.
- ζ) Quousque Viris sanctis etiam scribentibus status Θεοπνευστας vindicari jure possit ? quæ palmaria nobis quæstio
- ¶) probatur ex ministerio apostolico §§. XLIX. L.
- δ) confirmatur per testimonia Apostolorum ipsum
- §. LI.
- 1) limitatur, pro objectorum, de quibus scribebant, varietate §§. LII - LIV. cuius limitationis
- 1) eomoda exponuntur in refutandis Antiscripturatis §. LV. LVI.
- 2) innocentia defenditur, auctoritate Theologorum probatissimorum, *Lutheri, Cavei, Hedingeri, Pfaffii, Weismanni, Reussii, Doddridgii, Michaelis, Walchii, Doederlini, Niemaieri.*

§. I.



§. I.

**N**unquam doctrina de Θεοπνευσιᾳ Scripturae sacrae tantum Theologis negotii facessisset, si vel Paulus non dixisset: *Omnis Scriptura divinitus inspirata & utilis est ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad eruditionem in justitia;* 2 Tim. III. 16. a) vel si Interpretes, hujus ipsius

vo-

- a) Πασα γε αφι Θεοπνευσος και αφελιμος προς διδασκαλιαν,  
προς ελεγχον, προς επανορθωσιν, προς παιδιαν την ειδικαιοσυνην.

A




vocabuli θεοπνευστος originem sensumque etymologicum minus pressissent. Quæ si vere dicimus, id quod omnino existimamus; viam simul aperiūmus, qua difficultatibus istis tota hæc causa exfolvi, ac plana & simplex veritas debita in luce poterit collocari.

### §. II.

Paulum sub *Scriptura* libros *Veteris Testamenti*, non *Novi*; illa ipsa ἡρα γραμματα, de quibus v. antec. 15. locutus erat, adeoque eadem ipsa scripta intellexisse, quæ hodiernum *Codicem V. T.* uti vocamus, constituant, tam certum nobis est, ut satis mirari haud possimus, potuisse quemquam unquam de Pauli ipsius aliorumque Apostolorum scriptis heic cogitare. Nam, quæ Paulus Cap. III. 10. 14. præmiserat, de institutione orali intelligenda sunt, quam Timotheus acceperat; & quis per argumenta historica evictum dabit, isto jam tempore, quo Paulus hoc scribebat, collectionem quandam scriptorum apostolicorum sub titulo exochico της γεα-Φης exstitisse? Ut nihil dicamus, Timotheum circa A. 50 ad Christianismum accessisse ea ætate, ut mox a Paulo in consortium prædicandi Evangeli adscisci posset Act. XVI. 13. Atqui isto tempore necdum exsistebat aliqua *Scripturae N. T.* pars; prima enim inter omnes Pauli Epistolas, quæ ad Theſſalonicenses inscripta est, Anno demum 51. tribuitur. Quomodo ergo Timotheus hæc ἡρα γραμματα, quæ Novi Testamenti essent, απο βρεφους, ab infantia, nosse poterat?

### §. III.




## §. III.

Neque magis dubitamus , vocem Θεοπνευστος habere pro praedicto subjecti, πασα γραφη, nec pro parte subjecti. Vertendum itaque est: *Omnis Scriptura est a Deo inspirata & utilis ad doctrinam — non vero: Omnis Scriptura a Deo inspirata,* seu, quæ a Deo inspirata est, etiam utilis est ad — etsi & hæc constructio magnas auctoritates habet , & præcipuas insuper difficultates præcedit, quæ nostrum locum premunt. Dum enim Paulus v. 15. Timotheum ad τα ιερα γραμματα, scripta V. T. quod jam sumimus, alegat, quæ possint eum sapientem efficere ad salutem per fidem in Christum Jesum, rationem jam v. 16 reddit, cur tantum adscriperit τοις ιεροις γραμμασι, τη γραφη; nimirum , quia sit Θεοπνευστος και αφελιμος &c. Pone contrarium; nec jam certa credendorum regula Timotheo in *Scriptura* commendatur, sed critera tantum dantur, ex quibus ipse , quae *scriptura a Deo inspirata sit*, possit digoscere. Ita vero non, uti debebat, discipulo suo consultum voluissest Paulus. Überius hæc exposuimus in *Selbstgespr.* P. I. p. 65 - 87.

## §. IV.

Ast, quomodo Paulus omnem Scripturam V. T. vocare potuit Θεοπνευστον, cum tam multa contineat, quorum cognitionem , præter necessitatem minusque decenter, ab immediata divina inspiratione repeteremus? Facile enim intel-



ligitur, unde *genealogica* hauserint Scriptores sacri; *geographica* iisdem subsidiis debebant, quibus nos hodie; *historica*, quorum pars magna ipsi Scriptores nonnulli fuerunt, vel per semet ipsos sciebant, ut ante oculos eorum facta, vel ex majorum documentis, vel etiam ex fida traditione; *moralia* magna ex parte ita comparata sunt, ut a quovis viro pio, sapiente, multoque rerum usu exercitato, proficisci potuerint. Num dicemus, Deum, cum opus plane non esset, tamen singula hæc Viris sanctis inspirasse, atque hac in re, quod alias ab ejus natura tantum abhorret, fecisse superflua?

### §. V.

Vicissim vero multa contineri in Scriptura V. T. a Deo immediate profecta, & Viris sanctis vere inspirata, extra dubium est. Consequitur id vel ex ipsa notione religionis revelatae, quam Scriptura tradit; atque, si hæc alias fidem meretur in iis, quæ narrat, cur eidem non credamus, ubi expressis verbis Dei alloquia & mandata immediata memorat, quæ nonnisi per inspirationem, quicunque tandem ejus modus fuerit, ad Viros sanctos pervenire potuerunt? Exempla hujus rei, per omnem Scripturam frequentissima, haud allegamus; idemque de toto Prophetarum choro summatim confirmavit Petrus 2 Ep. I. 21: *Non hominum lubitu prolatæ est unquam prophetia, sed acti a Spiritu S. locuti sunt sancti Dei homines.*

### §. VI.




## §. VI.

Nec tamen, nisi insignem paralogismum, per saltum committere velimus, omnibus his plus efficitur, quan *illas* V. T. *partes* esse Θεοπνευστικ*as*, quæ immediata ejusmodi oracula & mandata divina, & in primis rerum futurarum prædictiones, nobis sistunt: ex his vero minor longe Scripturæ pars constat. Jure igitur etiamnum quærimus, quomodo Paulus *omnem* Scripturam dicere potuerit Θεοπνευστο*v*? Parum facit ad responsonem, si ad id provocemus, quod Christus ipse *toti* Scripturæ V. T. testimonium perhibuerit, sive generatim sub hoc ipso nomine, sive secundum suas partes majores allegatæ: Matth. XXII. 29. Joh. V. 39. X. 35. V. 46. Matth. V. 17. 18. XXII. 36. 40. Luc. XVI. 29. XXIV. 27. 44. Ut enim, sine omni controversia, Christus, per hæc enunciata, *totius* Scripturæ auctoritatem, qua alias apud Iudeos pollebat, divinam confirmavit; ita nullibi Θεοπνευστικ*as* Scripturæ *totius* directe asseruit; immo vero, si quædam Scripturæ partes per se non sunt Θεοπνευστoi, neque per ipsius Christi testimonium ad istam dignitatem potuissent elevari. Quare non satis accurate nobis agere videntur, qui Θεοπνευστiay Scripturæ ejusque auctoritatem divinam pro synonymis habent. Certum est, polle-re auctoritate divina, quicquid Θεοπνευστo*v* est; sed potuere quædam scripta sub divina auctoritate populo Dei commen-dari, quæ per se non fuerunt Θεοπνευσta. Ergo, ut Pauli sententiam tueamur, quæ *omnem* Scripturam Θεοπνευστo*v* dixit, aut dicendum erit, Apostolum, per synecdochicum dicendi

A 3

ge-



genus, *Totius tribuisse prædicatum, quod non nisi Partium est;*  
aut ulterius investigandum in vim atque sensum vocis Θεο-  
πνευσος, videndumque, annon etiam talem significationem  
sustinere possit, secundum quam Θεοπνευσια prædicatum toti-  
us Scripturæ egregie diceretur.

### §. VII.

Quod ad prius spectat, non quidem desunt exempla scri-  
pturaria vocis *Omnis*, restrictive, nec in summo rigore, acce-  
ptæ; sed ejusmodi illa sunt, ut vel *sensus synecdochicus* statim  
sub oculos cadat, e. g. Luc. II. 2. *Ut describeretur totus or-  
bis habitatus;* (παταν την οικουμενην) vel a genere & specie,  
quibus præponitur, lector per se deducatur ad *subjecta infe-  
riora*, quæ universim sumi non posse, statim appareat; ut  
Luc. XV. 1. *Appropinquabant autem ad Jesum omnes pu-  
blicani & peccatores, ut audirent eum.* — Matth. IV. 23. *Et sa-  
nans quenvis morbum & quenvis languorem in populo.* (πα-  
σαν νοσον και παταν μαλακιαν) &c. Sed diversum plane  
deprehendimus nostrum casum, ubi non de conceptu aliquo  
generico, sed de uno singulari subjecto, *Scriptura*, sermo est,  
quæ num tota Θεοπνευσος fit, nec ne? certe ex notione sub-  
jecti ipsius minime, cognoveris. Deinde summi discriminis  
res esset, si Paulus per synecdochen tantum *omnem* Scriptu-  
ram Θεοπνευσον nuncupasset, nec quibusnam illius partibus  
hoc prædicatum per se conveniat, determinasset. Ita enim  
cuivis integrum reliquisset, pro Θεοπνευσω & pro non-Θeo-

πνευσω

*πνευστον* in libris sacris habere, quicquid libuerit. Haud itaque videtur effati paulini veritas per explicationem synecdochicam posse vindicari. Dixeris forte: Annon & alibi *praedicata Partium* transeunt in *praedicata Totius*? Ita est, quotiescumque sermo sit de partium *homogenearum* prædicatis *materialibus*: pro talibus vero partes Scripturæ singulas habere nullo modo potes, nisi supponas jam, quod est in quæstione. Itaque hoc unum supereft, annon evolutio vocis Θεοπνευστος nos edoceat, omnem Scripturam recte dici Θεοπνευστον, etiam si multa in ea contineantur, quæ non sine incommodo ex divina inspiratione repeterentur?

### §. VIII.

Est vero hoc nomen inter *ἀπαξ λεγομένα* utriusque textus græci tam V. quam N. Test. neque etiam profanis usurpatum, nisi quod STEPHANUS in *Thef. sub h. v. versum Phocylidis* laudat:

Τηςδε Θεοπνευστοφίης λογος εστιν αριστος.


Itaque usus loquendi parum nobis subsidii offert; tanto apertius autem *vis etymi* se insinuat, ex qua Θεοπνευστον est, quicquid per *afflatum Dei*, sive per *inspirationem divinam* existit. Hoc autem sub *afflatu divino* quid veteres intellexerint, non uno in loco proditum legimus. Audiatur solus CICERO, de Deorum responsis inquiens *L. I. de Divin. Cap. 18. Cujus generis (divinationum, quod arte caret, & sola animi concitatione constat)*



stat) oracula etiam habenda sunt, illa, quae instinctu divino afflataque funduntur. Putabantur vero, qui oracula edebant, non sua, sed ab ipso Deo concepta verba proferre. Idem vero TULLIUS etiam latiorem vocis significatum sequitur, quando de Poetis ait pro Archia Cap. 14. Accepimus, caeterarum rerum studia & doctrina & praeceptis & arte constare; poetam natura ipsa valere, & mentis viribus excitari, & quasi divino quodam spiritu afflari: & multo magis L. It. de Nat. Deor. Cap. 66. Nemo igitur vir magnus sine aliquo afflato divino unquam fuit; cui parem sententiam prius posuerat: Multos præterea & nostra civitas & Graecia tulit singulares viros, quorum neminem, nisi juvante Deo, talem fuisse credendum est.

### §. IX.

Jam, quod ad nostrum scopum spectat, omnes concedunt, qui religionem revelatam in Scriptura traditam venerantur, esse in illa non pauca, quæ vere ac sensu strictissimo ex afflato & inspiratione divina profecta sunt, ubi, exclusa omni arte & meditatione, sancti Viri elocuti sunt, quæ a Deo ipsis fuere suggesta. Atque hanc notionem nemo pressius fecutus est ATHENAGORA in Legat. pro Christ. Cap. 7. p. 123. Edit. Wirc. Nos autem eorum, quæ perspicimus & credimus, testes habemus prophetas, qui divino Spiritu afflati de Deo ac rebus divinis pronunciarunt. Atque id quidem ipsi quoque confirmabitis, — alienum esse a ratione, ut Dei Spiritui, qui prophetarum ora tanquam instrumenta pulsavit, credere superseden-  
tes



tes animum ad humanas opiniones adjungamus. b) Et Cap. 9.  
p. 125. Qui mente & animo extra se rapti, impellente Spiritu  
S. quae ipsis inspirabantur, ea sunt locuti, utente illis Spiritu  
S. velut si tibiam inflet tibicen. c) Ut vero sub hac ratio-  
ne strictiore Paulus nullo modo omnem Scripturam θεοπνευ-  
σον dicere potuit; cf. §. IV. sic omnis evanescere videtur dif-  
ficultas, modo etiam θεοπνευσιαν sub eadem latitudine acci-  
pere liceat, sub qua Cicero in ll. cc. de afflatu locutus est  
divino.


§. X.

Num ergo ex Profanis interpretabimur Scripturam?  
Respondeo: Habet omnino Scriptura notiones sibi proprias,  
quarum determinationem seu comprehensionem, ab univer-  
so

b) Ήμεις δε, ὡς νοεμεν και πεπιστευκαμεν, εχομεν προφητας  
μαρτυρας, οι πνευματι ενθεω εκπεφωνηστη περι τη Θεον  
και περι των τη Θεων. Ειποιτε δ' αυ και ίμεις — ὡς εστιν  
αλιγουν, παραλιποιτας πιστευειν τω παρα τη Θεον πνευμα-  
τι, ὡς οργανα πεπιστηστη τα των προφητων σοματα, προσε-  
χειν δοξαις ανθρωπιναις.

c) Οι κατ' εκσασιν των εν αυτοις λογισμων, κινηταντος αυτως  
τηθεια πνευματος, αειηγεντο, εξεφωνησαν, συγχρησιε-  
γη τη πνευματος, ώτει και αυλιτης αυλον ειπικευετας.


B



fo systemate christianæ religionis definiendam, frustra quæsiverimus inter gentes revelationis ignaras. Ecquis, quid χαρις, quid δικαιωσις &c. Paulo significet ex Demosthene petat, sive ex Platone? Sed quæstio nobis est de una voce, eaque tali, cujus non habetur in Scriptura parallelismus verbalis; cujus tamen notionem haud prorsus ignorarunt profani, & cujus significatio etymologica, si in ea sola acquisescamus, difficultates gignit pene insuperabiles. Quis vitio nobis vertet, si, quocunque modo, de figura ejusdem idea pleniore dispiciamus, & Latinos quoque, quorum sermo idem, quod Græcorum, exprimit, in subsidium vocemus, cum Græci ab eadem abstinuerint; adeo quidem ut, si STEPHANO fides sit, ne Patres quidem græci vel vocem Θεοπνευσος, vel derivatum inde abstractum, Θεοπνευσια frequentaverint? Caret quoque iisdem SUICERUS in *Thes. Eccles.* nec non SUIDAS & HESYCHIUS in *Lexicis*. Itaque, si a Paulo discedimus, usum harum vocum universum non alium quam theologicum & scholasticum nominare possumus.

### §. XI.

Nemo vero Interpretum dubitat, quin idem, quod Paulus una voce Θεοπνευσος, Petrus pluribus verbis expresserit 2 Ep. I, 21. *Non enim lubitu humano proleta est unquam prophetia, sed alti Spiritu S. locuti sunt sancti Dei homines*



nes. d) Prædicat vero Petrus de eloquiis Prophetarum, quod Paulus de Scriptura generatim asserit; & contextus præterea docet, Petrum hæc enunciaisse tantum de prophetiis propriis libus, 1 Ep. I. 10. 11. quæ neque *inventionis* neque *interpretationis humanae* essent, iis solis indultæ, de quibus valebat, quod de *Bileam*, sive vero propheta sive falso, sed qui vel invitus vera heic eloqui debebat, Num XXIV. e) *Et venit super eum Spiritus Dei* e); sive qui cum Davide dicere poterant, 2 Sam. XXIII. 2. *Spiritus Jehovæ locutus est per me,* *& ipsius sermo super mea lingua fuit.* f) Add. Neh. IX. 30. Jes. XXXIV. 16. XLVIII. 3. Hos. XII. 11. Ast iterum hæc pertinent ad inspirationem strictissime talcm, quo sensu Paulus, ut jam monuimus, ὅμημ Scripturam Θεοπνευστον dicere haud potuit. Qui autem Petro dicitur Φέρομενος ὑπὸ πνευματος ἀγίας, una voce audit apud LXX. πνευματοφορος, חָרוּת שֵׁם Hos. IX. 7. quod ipsum vero sub alia longe significatione legitur Zeph. III. 4. homo *levis, instabilis*, quem ventus abripit. g) Cf. Matth. XI. 7. h)

B 2

§. XII.


d) Οὐ γὰρ θεληματι αὐθεωπτε πνεχθι πότε προφητεια, αλλ' ὑπὸ πνευματος ἀγίας Φέρομενος εἰλαληταν οἱ ἀγιοι Θεοι αὐθεωποι.

e) זֶה רוח אלְהִים

f) יְהוָה בָּבֶר - בַּי וּמְלֹתוֹ עַל - לְשִׁינִי

g) נְכִיאָה פּוֹחִים

h) Καλαμος ὑπ' αἰεμις σαλευομενος.



## §. XII.

Cognata autem compositioni vocis Θεοπνευστος est illa, quæ idem verbum Φερετθαι in suis derivatis conjungitur cum nomine Θεος, ut Θεοφρεματι, Θεοφροντος, Θεοφροντως, Θεοφροια; quas voces, stricte sumtas, ejusdem cum phraſi petrina ſenſum poſcere, & compositio docet & uſus. PHILO certe de vita Moſis ſæpius hiſ ipſis verbis utitur, quando Moſen aliiquid Dei immediato jufſu & iuſtinctu feciſſe perhibet. Profani quoque de Pythia ſacerdote aliisque, ad quos Deorum oracula facta eſſe credebantur, hiſ ipſis vocabulis, ut proprie rem ſignificantibus, utebantur; ſic ut, ſi Θεοπνευſιας vox illis æque cognita fuiffet, equidem haud dubitem, quin promiſcum Θεοφροιας & Θεοπνευſιας uſum apud illos deprehenderemus. At vero iterum latius patebat etiam Θεοφροια, ut iis ſæpius adſcriberetur, quibus vel affectus incitatiōr, vel animi viſ generofior, grande ac ſingulare aliquod facinus, inprimis, quod multis ſeu toti civitati utile fuit, imperaverat, qualia nonniſi Deo aliquo impellente, jubente, adjuvante edi poſſe opinio erat. Deflexa quoque in ſinistrum ſenſum vox Θεοφροδθαι fuit, ut, teſte STEPHANO, tantundem eſſet ac θεος, malo ſeu fanatico ſpiritu agor.

## §. XIII.

Ecclesiæ Patres frequentius, at ſtrictiore modo, mode latiore ſenſu, vocem Θεοφροδθαι uſurparunt. Propheta Jeſaias

faias divinitus afflatus Spiritu prophetico i) dicitur JUSTINUS  
*Martyri Apol.* i Cap. 35. pag. 171. Edit. Wirc. & paulo ante Cap. 33. pag. ead. legitur: *Vaticinantes autem, dum divinitus effuderuntur, nulla alia re ferri, quam verbo divino, vos quoque arbitror dicetis.* k) Verum etiam quoscunque Christianos, cognitione & rerum spiritualium usum exercitatores, Θεοφραστες dixerunt. Sic CLEMENS Alex. de suo Gnostico gloriatur, *Strom. L. VII. Cap. 13.* pag. 499. Edit. Wirc. *Divinus ergo est Gnosticus, & jam sanctus, qui Deum fert & ab eo afflatur.* l) Sine controversia autem CLEMENS suum Gnosticum non æque Θεοπνευσον, uti Paulum, prædicare voluit. Habemus itaque tum latiorem, tum strictiorem, hujus vocis usum ecclesiasticum.

#### §. XIV.

Comparemus cum his, quod etiam, secundum *Hebreorum Scripturæ*, *Spiritus Dei* in eos descendisse, eosque egisse, animasse, confortasse dicitur, qui vel intelligentia pollerent paucis data, etiam in rebus manuum opera artificiose

B 3

fe

i) Θεοφραστος τω πνευματι τω προφητικω.

k) Οτι δε γδει αλλω Θεοφρασται οι προφητευοντες, ει μη λογω Θεω, και ιμεις, ως υπολαμβανω, Φησετε.

l) Θειος αρα ο γνωσικος, και ηδη αγιος, Θεοφραστος ου Θεοφραστος.



se fabricandis, uti Deus de *Bezalele* loquitur Exod. XXXI.  
 3. *& implevi eum Spiritu Dei* m), vel singulari fortitudine instructi, corporis viribus more insolito valerent, uti de *Simeone* legitur Iud. XIV. 6. 19. *& irruit in eum Spiritus Iehovæ.* n) In his vero nolim ego de *eodem Spiritu* S. cogitare, qui prophetas inspiravit, rerumque arcanarum, maxime ad consilia Dei & regnum Messiae spirituale pertinentium, notitia imbuit. Sane, neque de Spiritu Dei, neque de prophetis digne fatis statuere nobis videntur, qui *eandem Inspirationis ideam* omnibus istis locis applicant, in quibus eximii omnis generis homines, *Spiritu Dei vel excitati vel adjuti*, magnum quid atque insolitum præstitisse leguntur.

### §. XV.


Aliam vocis Θεοπνευστος, stricte sumtæ, synonymiam ATHENAGORAS nobis subministrat, quando in *Legat. pro Christ. Cap. xi. p. 128. Edit. Wirc.* Christianorum dogmata a Deo pronunciata *& tradita* o), & *Cap. 32. p. 184. λογον Θεοδιδακτον*, sermonem seu doctrinam, quam a Deo edocisti simus,

vo-

m) □ יְהִי אָתֹן רֹוח אַמְלָא

n) וְצִלְחָה עַל־יְהֹוָה

o) Επει και δι' αυτων των δογματων, οις προσεχομεν, εκ ανθρωπινοις ψυχησ, αλλα Θεοφατοις και Θεοδιδακτοις, πεσσαι ιμας, μη ως περι αθεων εχειν, δυναμεθα.



vocat. p) Utraque enim voce de præceptis divinis a Prophetis & Apostolis, mandante Deo, in Scriptura propositis idem prædicatur? Nec male provocabimus ad ipsum Paulum, quando 1 Cor. II. 13. ait: *Quæ etiam loquimur, non sermonibus, quos docet humana sapientia, sed quos docet Spiritus S.* q) De maximis enim fidei christianæ mysteriis prius locutus erat.


v. 2. 7. 10. 11. At non magis quisquam in dubium vocabit, etiam latioris ambitus vocem Θεοδιδακτος esse, ut sæpius non significet, quæ nos ipsi immediate a Deo edoceamur, sed quæ potius ex verbo ipsius hauriamus; quo sensu Paulus ad Thessal. 1 Ep. IV. 9. *Ipsi enim vos divinitus edotti estis ad hoc, ut diligatis vos mutuo.* r) Hoc ipsum vero ut commune fælrium N. T. beneficium prædicat Christus, sub V. T. promissum, Joh. VI. 45. *Scriptum est in Prophetis: Et erunt omnes docti a Deo.* Cf. Jes. LIV. 13. Jer. XXXI. 33. 34. Num vero ita mere *pro synonymis* haberi possint Θεοδιδακτος & Θεοπνευσος, ut omnes, qui sensu hoc sequiore dicuntur Θεοδιδακτοι, æque vocari possint Θεοπνευσοι, quod nuper Viro cuidam erudito placuit, ego quidem valde dubito

ma-

p) Θεοδιδακτον ειναι τον καθ' ήμας λαγουν επιστημον.

q) Ἀ και λαλημεν, ωκ εν διδακτοις ανθρωπινης σοφιας λογοις,  
αλλ' εν διδακτοις πνευματος ἀγιας.

r) Αυτοι γαρ ομεις Θεοδιδακτοι εσε, εις το αγαπαν αλληλαγια.



Magnum mihi sentire videor discrimen inter ἀγεδαὶ πνευμα-  
τι ἄγιω Rom. VIII. 4. quod emiam Christianorum, vere tali-  
um, est, & inter Φερεθαὶ ὑποπνευματος ἄγιος 2 Petr. I. 21. quod  
Prophetarum tantum. Ut enim largissime concedamus, ope-  
rations Dei gratiosas quascunque esse *immediatas*; in Θεο-  
πνευστιᾳ tamen præter τὸ immediatum, etiam *singulare* quid  
է extraordinarium contineri putamus.

### §. XVI.

Disputavimus hæc eum in finem, ut ratio pateat, cur  
egregie Paulus *omnem* Scripturam V. T. vocare potuerit Θεο-  
πνευσον, non obstantibus iis, quæ contra diximus §. IV.  
Nimirum salva res est, & rectissime Paulus pronunciavit, si,  
admisso hoc uno postulato, quod omnes V. T. libri a pro-  
phetis conscripti sint, quod de plerisque certo constat, de re-  
liquis JOSEPHUS testatur *contra Apionem* L. I. Cap. 8. di-  
camus, Θεοπνευσον librum, *per usum loquendi*, non eum so-  
lum esse, qui veritates a Deo suggestas continet; sed omnem,  
qui Θεοφορτως i. e. *Deo impellente* seu *jubente* conscribitur, si-  
ve etiam *ex auctoritate divina cæteris libris sacris adjicitur*,  
etiamsi materia libri ipsa non per revelationem divinam scri-  
benti demum innotuerit, sed aliunde jam ipsi cognita fuerit  
atque perspecta. Sicque facile tota hæc causa componitur,  
modo ejusdem vocis Θεοπνευσος sensus uterque, tam *latior*  
quam *strictior*, probe observetur, atque ex oculis nunquam  
di-

❖ ❖

dimittatur; utriusque deinceps recta applicatio a natura rei substratæ pendet. Nec ab ludunt, quæ diximus, ab iis, quæ *Comp. nostrum Class. p. 53* sub Θεοπνευστιας notione comprehensa voluit, ubi *revelatio* quidem & *suggestio*, si distinguere hæc placeat, Θεοπνευστιαν respiciunt, sensu stricto & etymologico intellectam, reliqua vero in sensu ejusdem vocis latiore subsistunt. Iterum heic mirari subit, quod Patres Ecclesiæ, tum a *concreto* Θεοπνευστος, tum ab *abstracto* Θεοπνευστια, quorum tamen usum Paulus videri poterat quasi injunxisse, constanter abstinuerunt. Totam quidem utriusque vim circumscribendo sæpiissime expresserunt; sed ubi de Prophetis & prophetiis sermo erat, in quibus verissimi nominis Θεοπνευστια locum habebat. Quid? si suspicemur, etiam Patres, græcos maxime, in propositione paulina πασα γραφη Θεοπνευστος, aliquam ακυρολογιαν, sive sententiam audaciorum, deprehendisse, quam sibi haud imitandam putabant. TERTULLIANUS quoque idem isthoc incommodum sensisse, atque evitare voluisse videtur, dum ita vertit locum, omnem *Scripturam, aedificationi habilem, divinitus inspirari.* Lib. *de Habit u muliebri*, Cap. III, p. 39. T. III. Edit. Hal. Sed exspirat omnis ακυρολογια stabilito sensu vocis, præter etymologicam & strictam ejus interpretationem, etiam latiore.

### §. XVII.

Hunc ergo significatum vocis Θεοπνευστος latorem si ad enunciatum paulinum applicemus, sequentia lucramur:

C

1)




- 1) Quod de *tota* Scriptura Paulus prædicat, de *tota* quoque Scriptura jure tuemur.
- 2) Nec quicquam derogamus iis Scripturæ partibus, quæ *strictiore sensu* inspirationis divinæ sunt; quo quid referendum sit, nunquam aliunde, nisi ex materia substrata, judicari potest.
- 3) Non jam disputationi locus est, cur *libri Chronicorum, Esther*, aliique nonnulli, quorum argumentum nihil divinæ revelationis videtur offerre, inter libros *Deontrevius* compareant. Neque Christus, neque Apostolorum quisquam *omnibus V. T. libris*, eorumve *contentis singulis*, *Deontrevius* adscripsit. Quæ enim de *prophetiis* dicta sunt, non ideo quadrant in reliqua omnia. Solus Paulus *omnem* Scripturam *Deontrevius* vocavit. Hocce *Totum* & nos *Deontrevius* esse, confirmatum volumus, quoniam, ut *Totum*, per divinam auctoritatem existit, *Deo Prophetas* *mōnente ac dirigente*, quinam libri, ex pluribus, sacri suo populo esse debeant. Et huic *commendatae a Deo Scripturæ* Christus testimonium dedit; non vero *singulis ejus partibus* *Deontrevius* ratione originis, ullibi vindicavit.
- 4) Ita quoque facilius intelligitur, quid sibi velint Theologi varia ista distinctione inter *revelationem* seu *suggestionem*, *inspirationem*, *assistantiam*, *directionem*, *gubernationem*, & quæ sunt alia hujus generis, quorum alias limites



tes difficillime designantur. Vid. *Prüfung der Freym.*  
*Betr. p. 154 seq.*

- 5) Exspirat quoque omnis ista de *dictatione*, vel quasi, libro-  
rum sacrorum & de *verborum inspiratione* disceptatio.  
Quæ nonnisi a Deo sciri poterant, sine controversia sub  
iisdem verbis, *ut idearum signis*, sub quibus Prophetis  
innotuerant, ab his quoque prolata & conscripta fuerunt.  
Quæ per se sciebant Auctores sacri, suis quoque verbis  
exprimebant; stantes sub regimine gratiæ ordinario.
- 6) Esto itaque, in uno alterove puncto *historico*, *geographi-  
co*, *genealogico* hunc, illum scriptorem aliquantum errasse;  
nec tamen inde præjudicij quicquam in Scripturam, *ne-  
dum in ipsam universam revelationem*, redundat. Non  
enim hujus generis errores fini derogant, propter quem  
Deus eorum scripta libris sacris annumerata voluit. Ita  
vero fractum atque elumbe jacet palmarium *Antiscriptu-  
rariorum* argumentum: Quicunque liber continet erro-  
res & contradictiones, illo non potest tradi vera ac di-  
vina religio. Tum demum valebit illatio, si ostensum  
fuerit, erroribus & contradictionibus laborare *illas Scri-  
pturae partes*, quæ ex *Θεοπνευσιᾳ stricte sumta fluxerunt.*
- 7) Denique, nec inde quicquam metuendum est auctoritati  
Scripturæ, seu ipsius religionis, si non ubique eadem  
hodie vox legitur, quæ olim scripta fuit. Non enim fi-




ne suo excidit Scriptura, nisi cum uno ejusmodi loco affecto sive stet, sive cadat doctrina aliqua stricto sensu *Geopneusos*, qui casus adhuc non extitit.

### §. XVIII.

Sufficere hæc possunt de *Geopneusos* Scripturæ V. T. Neque enim ex loco paulino pro *Geopneusos* Scriptorum N. T. quicquam probatum volumus, nec certa ratione probari potest. Si vero in tractatione haec tenus instituta ordinem invertimus, qui alias hodie plurimis arridet, & a demonstrata *Geopneusos* Scriptorum N. T. regreditur ad probandum *Geopneusos* Scripturæ V. T. hancque viam ut breviorem, sic tutiorem invenit, quia N. T. testimonium exhibuerit Veteri, adeoque, si ipsum *Geopneusos* sit, validissime quoque testatum fit de illo; minime nobis peccasse videmur. Ista enim methodo neque caventur, neque tolluntur, sed è conspectu tantum paulisper removentur, difficultates, quæ paulinum de V. T. enunciatum premunt; neque Novum Testamentum ut *Scriptura*, collective sumta, tam magnifico viri alicujus *Geopneusos* testimonio gaudet, quam quidem a Paulo Veteri Test. datum vidimus. Recte quidem concludimus: Quæcunque scripta Apostolos habent auctores (ad exceptionem, quam *Marcus* & *Lucas* subministrare videntur, facilius respondeatur, quam aliqui putant,) illa, vi munera apostolici, ad Christianos, & ad omnes in universum homines, divinam habere debent auctoritatem; sed omnes & singulas horum scri-

*ptorum*



ptorum partes esse eapropter stricto sensu *Deontveusia*, id nondum sequitur. Potius etiam de Novo Testamento valent, quæ supra §. IV. de Vetere movimus dubia.

### §. XIX.


Ut vero, transitum jam facturi ad *Deontveusia* Scripturæ N. T. quantum fieri potest, religiose versemur in re maximi momenti, neque nostro judicio quicquam tribuamus, quod unice a divina auctoritate repetendum sit, ulterior nostra tractatio sequentibus absolvetur momentis;

- 1) Videbimus, quibus *Christi promissionibus* universa Apostolorum *Deontveusia* innitatur.
- 2) Audiemus horum ipsorum *Apostolorum* super hac re enunciata & testimonia;
- 3) Inquiremus in statum *Deontveusiae*, quo gavisi sunt, vel, ne quid occupemus, gavisi esse dicuntur, Apostoli, & videbimus, quantum ex illo subsidii ad definiendam hanc nostram causam peti possit.

### §. XX.

Prima *Deontveusiae* promissio Apostolis a Christo data fuit Matth. X. 19. 20. ubi illos, ob Evangelii præconium, coram

C 3



ram principibus & regibus sistendos, bono tamen animo esse jubet, nec anxie solicitos de instruenda apologia. Quando autem, inquit, tradiderint vos, ne solliciti sitis, quid & quomodo loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Non enim vos estis, qui loquimini: sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. s) Idem alio tempore repetit Luc. XII. 11. 12. Quando autem adduxerint vos ad synagogas & ad principatus ac potestates; ne solliciti sitis, quomodo aut quid pro defensione prolaturi, aut quid dicturi sitis. Spiritus enim S. docebit vos eadem hora, quae oporteat vos dicere. t) Ac propior morti factus Luc. XXI. 12 - 15. Ante haec autem omnia injicient vobis manus suas, & persequentur vos, tradentes in conciliabula (synagogas) & carceres, dulces ad reges ac praefides, propter nomen meum. Evenient autem vobis haec in testimonium. Habete igitur fixum in cordibus vestris, ne praemeditemini defensionem. Ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui nemo

po-


s) Οταν δε παραδιδωσιν ὑμας, μη μεριμνηστε, πως η τι λαληστε· δοθεισται γαρ ὅμιν εν εκείνη τη ἡρᾳ, τι λαληστε· Ου γαρ ὑμεις εσε οἱ λαλυντες, αλλα το πνευμα τη πατρος ὑμων, το λελυν εν ὅμιν.

t) Οταν δε προσφερωσιν ὑμας επι τας συναγωγας και τας αρχας και τας εξυσιας, μη μεριμνατε, πως η τι απολογησησε, η τι ειπητε· το γαρ αγιου πνευμα δεδαξει ὑμας εν αυτη τη ἡρᾳ, αδει ειπειν.

*poterit contradicere aut resistere eorum, qui opponant se vobis.* u) Parallelus huic locus est Marc. XIII. 9. sqq. Atque ex his locis id quidem indubium est, veri ac stricti nominis Θεοπνευσιαν Apostolis hic a Christo fuisse promissam. Qui enim non ipsi loquuntur, sed per quos & ex quibus loquitur Spiritus S. qui non opus habent, ut carent, seu cogitent & meditentur, quid pro apologia Evangelii dicere debeant, sed quibus id ipsum quod dicendum fuerit, ea ipsa hora fuit suggestum; Quibus & τοιποις, & τοι τι, σομα και σοφια, h. e. tam materia sermonis quam forma, seu modus, quo singula efferre debebant, idque ea ratione, quæ tanti Domini legatos maxime decebat, a Christo & Spiritu ejus immediate data fuerunt; ii profecto, si quis unquam alias, Θεοπνευσιας dono gavisi sunt. Interim, ne plus sit in conclusione, quam in præmissis, etiam hoc fatendum est, promissiones has omnes restringi ad flatum apologeticum, sive ad eos casus singulares, quando Apostoli coram magistratu rationem sui præconii reddere, veritatemque suæ legationis debebant defendere.

### §. XXI.

u) προ δε τετων παντων επιβαλλοντι εΦ' ὑμας τας χειρας ἀντων, και διωξοτι, παραδιδοτες εις συναγωγας και φυλακας, αγομενας επι βασιλεις και ἡγεμονας, ἐνεχεν τη ονοματος μω αποβιοτας δε ὑμιν εις μαρτυριαν. Θεοτε ενεπιτας καρδιας ὑμων, μη πρ μελεταν απολογηθηναι εγω γαρ δωσω ὑμιν σομα και σοφιαν, η & δυνησονται αυτειπαι, όδε αυτισηναι παντες οι αυτικειμενοι ὑμιν.



### §. XXI.

Non ignoro vim argumenti, quod a minori ad majus duci heic solet: Si Apostolis, ad paucos judices, idque rarius, verba facturis, inspiratione divina opus erat, ut tam verissime, quam dignissime responderent; quanto magis isto subsidio subveniendum eis fuit in universo suo ad homines præconio, unde non pauciorum quorundam, sed plurimorum pendebat persuasio? Sane, sapientissimus Deus in mediis, suo fini attemperandis, perfectissimam proportionem servat, nec plus nec minus cuique rei tribuens, quam quidem illa sua natura desiderat. Verum enim vero, utut rectissime se habeat hæc argumentatio; tamen, cum morosior adversarius excipere possit, nos eum sermonibus Christi ambitum dare, cuius indicium nullum in textu jaceat; cumque aliæ hujus generis, eademque ampliores, promissiones præsto sint, non ad singularem aliquem casum adstrictæ; non video, cur nimium insistamus argumento, quo absque omni bonæ causæ dispendio, carere possumus.

### §. XXII.


Quamvis Apostoli, etiam dum Christus in terris versabatur, mensura Spiritus gauderent non communi, Matth. X. 7. 8. id quod etiam de LXX discipulis valet Luc. X. 2. 9. 17 sqq. tamen per omne istud spatium nondum videtur

Geo-

*Θεοπνευσιας* donum Apostolis concreditum fuisse. Historicum certe argumentum, quod factum id fuerit, non suppetit. Apostoli ipsi, usque ad mortem Servatoris, tam pauca intelligebant de vero fine missionis Christi in mundum, deque natura regni per ipsum stabiliendi, id quo sexcentis exemplis comprobari potest, ut de universa *Θεοπνευσια* tenuissime nobis sentiendum esset, si jam tum illam habuisse, dicendi essent. Neque vero etiam isto tempore illa indigebant. Sub ductu, & sub oculis sui Magistri, cuius lateri constanter adhaerebant, & a cujus ore & nutu continue pendebant in omnibus, quæ vel dicere debebant vel agere, dono isto egregie carebant. Nunquam vero Deus *praeter necessitatem* hominibus impertitur dona extraordinaria. At vero longe aliter se res habebat, cum Christus, redditum ad Patrem parans, Apostolos suos in mundo relicturus erat, qui jam sine ipso, soli, immo etiam singuli, idem Evangelium hominibus annunciare, easdem contradictiones experiiri, eademque impedimenta submovere debebant. Quo fine potiri non poterant, nisi & ipsis persuassimum esset de divina veritate eorum omnium, quæ annuntiatur erant, & nisi aliis, eos audituris, de eadem veritate persuaderi facile posset. Prius obtinebatur per *Θεοπνευσιαν*, cuius beneficio non poterant non veritatem docere; posterius per donum miraculorum, modo illustriore, quam quo haec tenus gaudebant, ipsis impertiendum. De utroque certissimos eos fecit Christus, per *promissionem Spiritus S.* per quem edocendi e-

D

rant,




rant, quæ prius nec sciebant, nec capere quoque poterant. Joh. XVI. 12 sq. Atque ita factum est, ut in ultimis Christi ad Apostolos sermonibus, qui quam maxime interim ad confirmandos eorum animos facere debebant, exstantissimas quoque de Σεοπτηνευσιᾳ Apostolorum promissiones comprehendamus.

### §. XXIII.

Joh. XIV. cum jam apertius de suo discessu, ad Apostolos Jesus dixisset v. 1 - 4. eosque ad servandam in ipsum fidem excitasset, propter opera etiam, quæ facere ipsum viderint, quibus paria, immo majora, facturi sint, qui in eum crediderint v. 11. 12. atque his quoque illustrem promissionem de precibus ipsorum exaudiendis addidisset v. 13. 14. tandem ait, quasi hæc omnia novo & prorsus singulari beneficio obsignaturus, v. 16. 17. *Et ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in sempiternum, nempe Spiritum veritatis.* x) Hunc Spiritum veritatis, quem aliunde jam norant Apostoli, §. XXII. dum Christus αλλον παρακλητον, alium monitorem, doctorem appellat, eum sibi quasi surrogat, atque idem penes Apostolos præstiturum esse affirmat, quod ipse hucusque præstiterat, docens atque eru-

x) Καὶ εγὼ ἐρωτησώ τὸν πατέρα, καὶ αλλον παρακλητον δῶσαι σμιν, ἵνα μεν μεθ' ὑμῶν εἰς τὰς αἰωνας, τὸ πνεῦμα τῆς αληθείας.




erudiens eos in omnibus, quæ per se non sciebant, & scire tamen debebant. Notanter vero *Spiritum veritatis* vocat, ut certi fierent Apostoli, nunquam sibi in suo ministerio, dum hujus Spiritus ductum sequerentur, veritatem defuturam esse; ut-pote qui nil nisi quod verum & apud Deum ratum esset, ipsis suggesturus sit; qua ratione non minus, quam promissionibus prioribus, ad statum apologeticum restrictis §. XX. Christus omne n Apostolis scrupulum exemit, num certum habituri semper sint, quod in obeundo officio dicendum faciendumque sibi fuerit. Idemque mox confirmavit optimus Servator v. 26. *Ille autem Paracletus, Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & in memoriam vobis revocabit, quae ego vobis dixi.* y) Ergo omnium, quibus opus esse poterat, notitiam ab hoc Spiritu exspectare jubebantur Apostoli, tum eorum, quæ, pro officii ratione, noviter essent edocendi; tum eorum, quæ, a Magistro jam percepta, forte oblivioni dedissent. Ita vero & summa eorum, quæ a Christo didicerant, Apostolis confirmabatur, & novum quotidie cognitionis augmentum, eorumque plenior evolutio, quæ generaliora tantum Christus tradiderat, promittebatur. Eadem pene verba in eodem sermone repeatit Christus Joh. XV. 26. 27. *Quum autem venerit Paracletus*

D 2

ille,


y) Ο δε παρακλητος, το πνευμα το ἀγιου, ὃ πεμψει ὁ πατηρ με εν τω ουρανῳ με, εκεινος ὅμας διδαξει παντα, και ὑπομνησει ὅμας παντα, α ειπον ὅμιν.



ille, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritus ille veritatis, qui a Patre procedit, is testabitur de me; sed & vos testabimini, quia ab initio mecum esis. z) Promittitur heic, quantum ad nostrum scopum attinet, idem monitor seu doctor, idem Spiritus veritatis, testimonium perhibiturus de Christo, h. e. docturus Apostolos de eo, quæcunque adhuc de Christo ejusve regno vel plane non didicerant, vel non recte perceperant. Uti enim testimonium pro doctrina, ita testari quoque pro docere usurpatur 1 Cor. I. 6. II. 1. Apoc. I. 2. &c. Patet id quoque ex seqq. Uti enim Apostoli de Christo testaturi, h. e. doctrinam Evangelii ad omnes gentes perlaturi erant; sic & ipsi eandem doctrinam, in omni suo ambitu spectatam, ab isto Spiritu veritatis prius erant accepturi. Hunc Spiritum Christus, ut mittendum demum a Patre, sed ipsius ro-  
gatu mittendum, Joh. XIV. 16. simul vero etiam ut a se mis-  
sum Cap. XV. 26. commendat, quo nova plane multoque amplior Apostolorum in doctrina Evangelii illuminatio pro-  
mittitur. Quæ singula quasi obsignat tandem Joh. XVI. 12-  
14. Adhuc multa habeo, quae dicam vobis; sed non potestis jam portare. Quum autem venerit Ille, Spiritus veritatis, is ducet vos in omnem veritatem. Non enim loquetur a semet ipso, sed  
quæcunque audierit, & quæ ventura sunt, renunciabit vobis.

Ille

z) Ὁταν δε ελθη ὁ παρακλητος, ὃν εγω πεμψω ὑμιν παρα-  
τη πατρος, το πνευμα της αληθειας, ὁ παρα τη πατρος  
εκπορευεται, εκεινος μαρτυρησει περι εμα.




*Ille me glorificabit, quia de meo accipiet, & renunciabit vobis.* a)  
Ergo Apostoli, cum Christus ab ipsis discederet, multiplici  
ad hoc ignorantia laborabant, explendo postmodum officio  
multum obfutura; qua itaque debebant liberari, tum ut di-  
scerent, quæ nesciebant, tum ut divina certitudine illa sci-  
rent, ne vera & falsa, divina & humana, varie miscentes,  
plus nocerent, quam prodeßent, doctrinæ de Christo, per to-  
tum mundum prædicandæ. Dux itaque illis & auctor opus  
erat talis, qui ab omni eos errandi periculo liberos immu-  
nesque præstaret. Fuit is *Spiritus veritatis*; quo non certus  
quidam animi, in doctrina Jesu Christi confirmati, habitus,  
non uberior tantum cognitionis mensura, vel in ea proferen-  
da ad alios, singularis parrhesia significari heic potest. Ob-  
stat τὸ εκεῖνος, quo certum subiectum, per se subsistens, de-  
notatur, ὁ παρακλητός, qui ducis instar Apostolis futurus  
sit, (δύνησι) five doctoris, a quo nil, nisi quod verum sit,  
essent docendi. Quid vero & quale hoc futurum sit, seu cu-  
jus generis veritates cum ipsis sit communicaturus, Christus  
indicat per seqq. quod non locuturus sit à semet ipso, sed ea,  
quae audiverit, & quae sumferit de iis, quae Christi sint; qui-

D 3

bus

a) Επὶ πολλὰ εἶχω λεγειν ὑμῖν, αλλ' οὐ δυναθεί βασαζεῖν αρ-  
τι. Ὁταν δὲ ελθὼν εκείνος, τὸ πνεῦμα τῆς αληθείας, ὁδη-  
γησει ὑμᾶς εἰς πασαν αληθείαν· Οὐ γαρ λαλοῦει αφ'  
ἴαυτος, αλλ' ὅσα αν ακοστοι, λαλοῦει, καὶ τα ερχόμενα  
αναγγελεῖ ὑμῖν. Εκείνος εμε δοξασει, ὅτι εκ τω εμω ληψ-  
ται καὶ αναγγελεῖ ὑμῖν.



bus verbis Spiritum veritatis tanquam suum & Patris Legatum pollicetur, stricte exsecuturum, quæ in mandatis habeat, ut certi essent Apostoli, se non diversa ab iis, quæ hactenus ex Christo audiverant, ab hoc Spiritu esse audituros; sed plane ea, quæ ad majorem Christi glorificationem pertineant, & quæ capere & portare hucusque non potuissent, si Christus illis ea jam tradere voluisset. Dumque Christus & hoc Spiritui huic adscribit, quod, quæ ventura sint, ipsis annunciaturus fit; certos reddidit Apostolos, Spiritum vere divinum ipsis datum iri, cuius solius est futura præscire, atque sic eodem loco se habendos, eademque prærogativa esse galvisuros, quam in priscis prophetis semper venerata fuit Dei Ecclesia.

#### §. XXIV.


Sistamus jam sub unum conspectum, quæ his Christi promissionibus continentur, quantum quidem ad nostram causam spectat:

- 1) *Veri nominis Θεοπνευσία* Apostolis promissa fuit; eadem illa, quam Petrus 2 Ep. I. 21. prophetis V. T. tribuit, a Spiritu S. agitatis.
- 2) *Objetum seu materia* promissæ hujus Θεοπνευσίας proxima erat
  - a) Quicquid de *doctrina* *Jesu Christi* adhuc nesciebant, quodque sciri ab illis, & per illos ad alios propagari, necesse erat;
  - b)



- b) Quicquid ejus jam ex ipso Magistro audiverant, sed vel non recte intelligebant, vel memoria non amplius tenebant.
  - c) Quicquid ex eventibus mundi futuris praesciri vel etiam praedici ab illis, causæ Christi intererat. Quæ singula veram ac stricti nominis Θεοπνευσιαν desiderabant.
- 3) Remotius autem, ex consideratione muneric apostolici, ejusdem Θεοπνευσιας objectum constituere licebit, quamvis his promissionibus non expressum;
- a) Intelligentiam prophetiarum V. T. quantum illæ ad αποδεξιæ doctrinæ evangelicæ faciebant. 2 Pet. I. 20. Act. XVIII. 28. 1 Cor. XV. 3. 4.
  - b) Instituta varia, ad condendam stabiliendamque in his terris Jesu Christi Ecclesiam necessaria. Act. XV. 28. XX. 28. coll. XIV. 23.
  - c) Arcana aliorum cogitata & facta, quæ detegi, ac luci exponi, e re Ecclesiæ erat. Act. V. 3 sqq. VIII. 20 sqq.
  - d) Consilia in causis singularibus sapienter capienda, ubi humana prudentia, quid factu opus sit, non invenit. Act. VIII. 26. 29. quæ tamen singula si priori objecto proximo implicite contineri dicere malis, haud repugnamus.


Ita



Ita vero eum ambitum dedimus huic Θεοπνευσίᾳ dono, quem tum ipsissima promissionum Christi verba, tum scopus illius & universa munera apostolici ratio, in Scriptura S. designarunt. Qui limites illius amplius prorogandos putat, faciat; modo praeunte S. S. auctoritate facere id possit.

### §. XXV.

Verum neque id obscurum cuiquam esse potest, quod, etiam si Θεοπνευσία in singulis, a nobis recensitis, objectis immediatam Dei vel Spiritus divini operationem inferat, non tamen omnes istae species eodem quoque modo affecerint Apostolorum animos. Aliter certe hi se habebant in percipiendis illis regni Dei mysteriis, quorum nulla prius notione fuerant imbuti; in his enim, quantum quidem natura ferebat mentis humanæ ea recipientis, mere, quod ajunt, passim se habebant. Num. XXII. 20. 38. XXIII. 12. 26. XXIV. 13. Jer. XX. 7 - 9. XXIII. 9. In aliis, quando ipsi, prævia meditatione, precibusque missis, viam quasi paraverant responso divino, multo quoque lenius hoc animis eorum illabebatur. Dan. IX. 3 sqq. 20 - 23. X. 12. Rom. XI. 1 sqq. 15. 25. coll. C. IX. 2 - 4. 1 Pet. I. 10. 11. Atque hoc in primis experti esse videntur Apostoli in rimando sensu veterum vaticiniorum; in dictis Christi ad animum revocandis, & rectius jam, quam antehac, intelligendis; in dandis consiliis & responsis, quibus non quidem sufficiebat, at aliquam tamen facultam præferebat humana prudentia, quam non prorsus otio-




otiosam, multo minus extinctam volebat Θεοντευγία. Li-  
ceat comparare eos cum discipulis, qui modo nova & nun-  
quam antea audita a præceptore percipiunt; modo, exci-  
tati ab eo, suis viribus veritatem quærunt, nec tamen, nisi  
eodem juvante, inveniunt.

### §. XXVI.

Post promissiones Christi Apostolis datas, transimus ad  
*facta*, quæ, ut totidem *complementa promissionum iſtarum*, a  
scriptoribus sacris memorantur. Heic primo se nobis offe-  
runt plura illa in *Actis* obvia loca, quæ vel de omni-  
bus, vel de singulis Apostolis, aliisque testibus Evan-  
gelii præcipuis, confirmant, eos a *Spiritu S. actos* sive  
*ductos* dixisse & fecisse, quæ notata de ipsis deprehendimus.  
Act. II. 4. IV. 8. VIII. 29. X. 19. XI. 12. 28. XIII. 2. XV.  
28. XX. 23. XXI. 11. In his enim, neque de donis mira-  
culosis, Apostolis & aliis credentibus sub initia Ecclesiæ im-  
pertitis, quorum alias crebra sub nomine *Spiritus S.* mentio  
in *Actis* occurrit; neque de insigni tantum fiducia quadam  
in dicendo agendoque sermonem esse, sed de divina com-  
municatione, seu suggestione, quid dicere, quid agere de-  
berent Viri sancti; ex ipso contextu horum locorum quisque  
facile intelligit.

### §. XXVII.

At longe explicatiora sunt loca ista, in quibus *Apostoli*  
*ipſi de hac sua praerogativa gloriantur*. Multus in his, ac  
E fe-



fere solus est, Paulus, non ex ea quidem ratione, quod plura, quam reliquis omnibus, ei uni scripta debemus; in una enim eademque Epistola iteratis vicibus hanc chordam tangit; sed ex eo potius, quod ipse plures, quam reliqui, in prædicando Evangelio fundandaque Ecclesia adversarios domesticos, Christianos illos judaizantes, expertus est, contra quos auctoritatem suam, ut reliquorum auctoritate nullatenus inferiorem, & Θεοπνευσταν suam tueri necesse habebat, cum prona videatur fuisse malevolorum invidorumque istorum exceptio, Paulum nondum pertinuisse ad Collégium apostolicum, cum magnificas istas promissiones a Christo acciperet; cumque solemniori illa ac uberiori Spiritus S. effusione Act. II. maſtaretur. His inductus invitamentis, et si per se modestissimus erat Paulus, 2 Cor. X. 12. 13. 17. 18. XI. 1 sqq. XII. 5. sqq. Gal. VI. 14. 1 Tim. I. 15. 16. tamen, ad salvandam officiū dignitatem, & removenda obstacula quæcunque, jure suo, etiam sibi eandem cum aliis Θεοπνευσταν obtigisse, loco non uno asseveravit. Etenim non tantum generatim *revelationes* sibi factas deprædicavit 1 Cor. XIV. 6. 2 Cor. XII. 1. Gal. II. 2. immo vero abundantiam *revelationum*, 2 Cor. XII. 7. b) & quidem *rерum antea nemini cognitarum, nec cuiquam perscrutabilium, sed quæ veri nominis mysteria essent*, Rom. XVI. 25. 1 Cor. II. 7. Eph.

b) Τη ὑπερβολη των αποκαλυψεων οὐα μη ὑπεραιρωμαι.




Eph. III. 3. 5. verum etiam directa oppositione testatus est,  
*se non ab hominibus, sed a Domino ipso accepisse, quae doceat:*  
Gal. I. 11. 12. 1 Cor. XI. 23. & quidem per Spiritum S. eun-  
dem quippe, qui primum Apostolis a Christo promissus fue-  
rat; 1 Cor. II. 10. 13. XII. 4. Eph. III. 5. &c. Vindicavit vero  
Apostolus hanc dignitatem tum universo suo de Christo præ-  
conio, 1 Cor. II. 2 sqq. 1 Theff. II. 13. tum singularibus qui-  
busdam responsis, in quibus Domini quasi interpretem egit,  
1 Cor. VII. 10. 1 Theff. IV. 15. Quin immo, ubi peculiari  
Domini mandato destituebatur, non tamen ita de suo respon-  
dere videri volebat, ut nullæ Spiritus S. in eo partes essent,  
1 Cor. VII. 12. 25. 40. fruebatur enim *gratia ordinaria*, sicut  
bi carebat, nec opus habebat, *extraordinaria*. Quod autem  
Paulus in his sibi, idem etiam reliquis Apostolis adscripsit;  
1 Cor. III. 5 sqq. IV. 1. 2. Eph. III. 5. quos, ut se inferi-  
ores minusve instructos declararet, longissime absuit, & in  
aliis quoque una eademque Apostolatus conditione secum  
teneri afferuit 1 Cor. IV. 9 sqq.

### §. XXVIII.

Hæc omnia, uti extra dubium collocant, Paulum &  
reliquos Apostolos Θεοπνευστας dono fuisse gavilos, ita tamen  
etiam tacitam illam secum ferunt limitationem, Θεοπνευστας  
objectum, cuius ampliorem delineationem supra dedimus §.  
XXIV. non fuisse, nisi regni Dei mysteria, & ipsam Jesu Chri-


E 2

fti



sti doctrinam, inter homines propagandam & confirmandan-  
dam, sive deinceps ad credenda potius, sive ad agenda, il-  
la referretur. Eum enim in finem his Evangelii testibus  
Spiritus S. promissus fuerat, ut, quod Christus, reversus ad  
Patrem, jam non amplius poterat facere, ille eos in omnem  
duceret veritatem. Hicce *alius Paracletus* plane Christi ip-  
sius vices apud Apostolos erat gesturus. At vero, uti Chri-  
stus ipse, quoad in terris agebat, continuo cavit, ne in ob-  
eundo ministerio veris falsa miscerent discipuli; ita in aliis,  
& quæ ad vitam eorum privatam pertinebant, suo quem-  
que sensu abundare, haud ægre permittebat, tempori id  
sapienter relinquens, ut in his quoque, ipso tandem usu &  
experientia edocti, rectius subinde sapere disserent; cuius  
rei exempla satis multa deprehendimus in Historia Evan-  
gelica. Quidni ergo hos ipsos limites quoque agnoscamus  
in Apostolis Σεπτεντσοις, & post Christi discessum uberiore  
Spiritus S. mensura donatis, ut, quod ad præconium Evan-  
gelii, ad Ecclesiam Christi fundandam, dilatandam, regen-  
dām spectabat, sub immediata, eademque *extraordinaria*, Spi-  
ritus S. operatione & suggestione starent, a quo accipiebant  
& *to quid & to quomodo?* in aliis contra, quamvis & his cum  
officio apostolico magis, minus connexis, suo sensui relin-  
querentur, *ordinaria* tamen Spiritus S. disciplina fruentes,  
cui submittere se, totosque se tradere & poterant, & non  
poterant, ex communi lege humanitatis, quam exuisse Apo-  
stolos nemo dixerit.

§. XXXI.



## §. XXIX.

Per hanc *Θεοπνευσιας* theoriam ex Scriptura ipsa, non ex systemate aliquo theologico, haustam, Apostoli, nec minus sancti Dei Viri V. T. plenissimam fidem merentur in omnibus, quae ad Dei consilia hominibus significanda prodiderunt, neque in his erroris ulla suspicio premere eos potest. Certissime enim, si finem voluit Deus, voluit quoque media. Contra, si iidem Viri etiam alia locuti sunt, ad istam officii rationem primariam haud pertinentia, in quibus non Dei legatos egerunt, sed suas res ex suo iudicio curarunt: non video, cur in his quoque eadem *Θεοπνευσια* illis adscribenda sit. Ergo etiam errare in his potuerunt, salva in aliis officii sui dignitate. Ergo pars longe major eorum, quae ab *Antiscripturariis* ad labefactandam LL. SS. auctoritatem solent affirri, nihil jam valent contra assertam hanc Vironum sanctorum *Θεοπνευσιαem*.

## §. XXX.

Videamus jam, annon ex *Status Θεοπνευσιας in Viris sanctis* tum lucis, tum firmitatis aliquid huic causae conciliari possit. *Status*, de quo heic sermo est, opponitur *Afflui*. Actus vero *Θεοπνευσιας* duplici modo intelligi potest: tum *afflītive* seu *transitive*, quando consideratur, ut operatio Dei, per quam acceperunt sancti Dei Viri, quae scitu ipsis & factu fuere necessaria; tum *passīve* & *intransitive*, quatenus




nus ista Dei operatio terminabatur in animis virorum *Theopneustarum*, certaque de Deo rebusque divinis repræsentationes in ipsis exsistebant. Vix monito opus est, *statum Theopneustarum* nos heic opponere *aetui* sensu posteriore accepto. De *statu* multa subtiliter disputant Ontologi: ad nostram vero causam optimae quadrat vetus illa Scholasticorum definitio, qua *statum* dixerunt rei in esse suo perseverantium.

### §. XXXI.

Ipsum vero hoc argumentum de *statu Theopneustarum in Viris sanctis*, si paulo plenius evolvendum sit, sequentes subse complectitur quæstiones:

- 1) Num *Theopneustria* fuerit aliquid *permanens*, an vero *transitorium*?
- 2) Quo sensu sub statu *Theopneustarum* considerati Viri sancti dici possint *infallibles* fuisse?
- 3) Quæ sub statu *Theopneustarum* *donorum* & *qualitatum naturalium*, quibus Viri sancti pollebant, fuerit ratio? quisve usus?
- 4) Quomodo porro se habuerint ad illum *dona spiritualia* & *supernaturalia*, tam ordinaria quam extraordinaria?
- 5) Quæ in specie *doni linguarum* fuerit ratio?


6)



- 6) Quousque Viris sanctis etiam *scribentibus* status *Dei πνευσιας* vindicari possit? Sive, num *scriperint* quoque, uti locuti sunt, qua *Dei πνευσοι?*

### §. XXXII.


*Prima* quæstio ex ipsa definitione *status* deciditur. Quicquid enim in esse suo perseverat, aliquam certe continuitatem seu tractum habere debet, nec in puncto consistere, seu momentanea tantum existentia manifestare se potest. Sed dupli modo perseverantia ista intelligi potest. Sane Deus non videtur ab iis, queis semel indulserat *Deoπνευσιας* donum, illud iterum retraxisse, sic ut desierint esse viri *Deoπνευσοι*, quos Deus per gratiosissimam dispensationem, ad obtinendos fines sibi propositos, tales constituerat. Ita suo modo perennabat semel collatum *Deoπνευσιας αξιωμα*, nec transitorium quid erat. Neque aliter judicare potest, qui statum *Deoπνευσιας* dixerit *habitualem rerum divinarum intelligentiam sanctis Viris a Deo collatam*. Quicquid enim *habituale* est, illud, qua tale, constanter ineat suo subiecto. Alia tamen hujus rei facies existit, si ita intelligas quæstionem, num, qui semel *Deoπνευσιας* dono mactati fuerunt, *semper & ubique, quaecunque eis offerebantur, Deoπνευσως cognoverint egerintque?* Hoc enim sensu negamus quæstionem, dicimusque, *Deoπνευσιαν* non aliquid *permanens*, sed *transitorium* potius fuisse. Rationes in promptu sunt, eaedemque



que validissimæ. Vidimus enim, primas & præcipuas **Deo-  
nitiones** promissiones, Apostolis factas, restrictas fuisse ad  
necessitates apologeticas §§. XX. XXI. immo nec reliquas  
latius patuisse, quam necesse erat in iis, quæ Apostoli,  
Christi institutione jam non uti antea fruentes, per Spiritu-  
m S. docendi erudiendique erant, ne, rerum dicendarum  
ignari, falsa immiserent veris. §§. XXII. XXIII. Sed quis  
non crediderit, sensim etiam sensimque in cognitione, ea-  
demque distinctiore ac certiore, crevisse Apostolos, adeoque  
heic & nunc de sua penu depromisso, quæ dicenda essent;  
ubi itaque plane superflua fecisset Deus, si semper & con-  
tinue actuali **Deonitiones** istis Viris succurisset. Ut nihil di-  
camus, quam parum hæc cum natura animi humani, &  
cum certis phænomenis sive eventibus, in Historia Apostolo-  
rum narratis, possent componi; qualia fieri non potuissent,  
si eo, quo determinavimus, sensu permanens quid fuisset  
**Deonitiones**, sive, si status **Deonitiones** id involveret, Viros  
sanctos *nenni* **Deonitiones** cogitasse, dixisse, fecisse.

### §. XXXIII.

Ex his quoque perspicitur, tæpius rediisse Apostolos  
ad statum **Deonitiones**, hancque eo diutius durasse, adeoque  
continuitatem aliquam habuisse, quo plura in nexu illi do-  
cendi erant docebanturque. Quare etiam notioni **Deonitiones**  
plane non satisfaciunt, qui in universum, *fola animi  
commotione*, utut ab immediata Dei operatione profecta, ab-  
solvi




solvi illam putant. Sub animi enim commotione fortiori vividius quidem sentimus enunciamusque, quæ dicimus, sed nihil per eam augmenti cognitioni nostræ accedit. Etiamsi vero continuum quid fuerit in statu Θεοπνευστιας, continuitatis tamen hujus limites assignare, nostrum non est. Namque etiam longiores Virorum sanctorum sermones non statim a capite usque ad calcem ex uno Θεοπνευστιας fonte profluxisse censemus. Poterant illis plura contineri, quæ per se, sive ex prioribus revelationibus, sive ex solerti illarum studio & meditatione, Viri sancti sciebant, quæ subinde denuo revelari necesse haud erat. Et qui sub ipso Θεοπνευστιας statu tamen homines manserant, cur eos communia humanitatis prærogativa privemus, per quam, etiam non influente causa aliqua externa, veritas in animo ex veritate nascitur? Et quo jure ultra datas promissiones nos extendemus Θεοπνευστιας beneficium? Surrogandus erat ὁ αλλος παραπληνος in locum Christi, qui quidem ipse in his terris suis præceptis monitisque Apostolos regebat, nec tamen eum in modum, ut suo ipsorum judicio uti nunquam illis licuerit.

### §. XXXIV.

Ita vero II. ex modo dictis facile colligitur, quo sensu infallibilis fuerint Viri isti sancti. Fuerunt omnino, quandoque quatenus fuerunt Θεοπνευστοι. In hoc enim statu, si Christo credamus, non potuerunt non in omnem duci veritatem,

F


id



id est, quicquid qua *Georgius* cogitabant, dicebant, agebant, tam indubie verum, bonum & rectum erat, quam quidem ipsius Servatoris enunciata & facta ab omni errore & erroris periculo fuerunt alienissima. Finis enim *Georgius* id exigebat, ne, ipsis errantibus, sive in dogmatibus religionis, sive in vitæ christianæ præceptis, in errorem induceretur Ecclesia omnium temporum, cuius erat, ab Apostolis accipere, tum quid credere, tum quomodo vivere debat. Alios, eosque magis prorogatos, infallibilitatis hujus limites neque promissiones Christi ostendunt, neque munus apostolicum desideravit. Etiam in rebus ad religionem spestantibus suum sæpiissime judicium sequebantur, jam quidem satis exercitatum, & per gratiam ordinariam firmatum, neque tamen eapropter per se, sed per antegressas revelationes, infallibile; in vita autem quotidiana, quæ hominis potius, quam Apostoli erat, ego sane non video, ex quoniam fundamento infallibilitatem, tanquam *Georgius* consequens, adscribere illis liceat.


### §. XXXV.

Forte quorundam animos sequens terret objec<sup>tio</sup>: si non semper & in omnibus infallibles fuerunt Apostoli, ego nunquam possum esse certus, quod in hac & illa causa, in hoc & illo dogmate, in hoc & illo præcepto, ista gavisi sint prærogativa; non enim singula singulari divina auctoritate munita



nita ac roborata deprehendo. Ergo, si de uno dubitare mihi licet, dubitare possum de multis, quin de plurimis, num a doctore fide digno, infallibili, Θεοπνευστῳ profecta illa sint; quo pacto omnis sanctissimae nostrae religionis certitudo firmitasque videtur convelli. Respondeo:

- 1.) Quicquid sit de tua meticulositate, ego tantisper non ausim, plus tribuere Apostolis, quam ex promissionibus Christi, ipsorumque Apostolorum assertis, vindicari illis jure possit. Itaque æque certe religiose, ac tu, ego hanc causam trasto.
- 2.) Nescio adeo, an fidei tuæ fundamentum satis solidum substernas, si ab eo *uno* pendeas: infallibiliter vera sunt, quæcunque Apostoli dixerunt, *quia fuerunt Θεοπνευστοι*. Quodsi enim tibi, etiam invito, in eorum dictis factisque vel tantillum occurrat, ubi de Θεοπνευστᾳ eorum hæreas; totum tuum ædificium subito lapsu corruit. Itaque reddo tibi tuum argumentum: Unde nosti, eum, qui semel non ex Θεοπνευστᾳ vel dixit vel egit, alibi semper ex ea dixisse vel egisse? Ergo, neque hic melior rem causam habes, quam ego.
- 3.) Præstabit itaque rationes ita subducere: Promissa fuit Θεοπνευστῳ Apostolis, defensionem Evangelii suscepturnis §§. XX. XXI. & ipsam Evangelii doctrinam, quam jam ex Christo audiverant, sed non bene satis in omnibus



bus intellexerant, ad pleniorum hominum de Regno Christi informationem prædicaturis, §§. XXII. XXIII. quæ cum unum veritatum *systema*, idemque per se humanæ rationi non pervestigabile, constituant, cuius singulæ partes, tam inter se, quam cum toto, exakte debent conspirare; id omne, quod ad istam veritatum revelatarum compaginem pertinet, non potest non *σεπτεντιας* objectum esse, a nemine Christianorum in dubium vocandum. En, quantum momentum secum ferat Christi præceptoris cum discipulis, discipulorumque inter se, consensus. Porro, si casus forte incidebant, ubi plurimum intererat causæ Christi, ut, absque omni oppositi formidine, quid verum, quidve bonum & conveniens sit, Apostoli scirent; e. g. Act. V. 1 sqq. XV. 1 sqq his vero necessitatibus, nisi per *σεπτεντιαν*, succurri haud poterat; quis dubitet, tum Apostolos plenissime hac prærogativa fuisse gavisos? Veri quoque simile est, id multo frequentius factum esse, quam nos quidem ex historiarum monumentis jam ostendere possumus. Valeat & heic illud Johannis Cap. XX. 30. 31. Ex his autem non sequitur, semper & in omnibus Apostolos infallibilitatem habuisse, nisi conclusionem placeat admittere a particulari ad universale.

### §. XXXVI.


Ipsa tandem *Historia apostolica* litem dirimat, & quidem temporum non priorum, quoad Christo, inter homi-

❧

mines ambulanti, comites adhærebant Apostoli, sed illorum, cum sancti hi Viri, post effusionem Spiritus S. ad officium, in omni suo ambitu obeundum, essent instruictissimi. Profecto illimitate infallibilis non fuerunt, cum Philippus etiam Simonem Magum ad baptismum suamque familiaritatem adiuteret, qui mox animum prodidit amaritudinis & injustitiæ plenissimum; Act. VIII. 13. 23. cum magna disputatione opus esset, num circumcidendi sint ex gentibus conversi, nec ne? Act. XV. 6 sqq. cum sibi proponerent, quae Spiritui S. non probabantur; Act. XVI. 6. 7. cum Paulus putaret, se nunquam iterum visum iri Ephesi, Act. XX. 25. quo tamen, post primam captivitatem romanam, rediisse multis creditur; cum nesciret, summo se sacerdoti male dicere; Act. XXIII. 3 - 5. ubi tamen Apostolus in ipsa apologia Evangelii coram synedrio hierosolymitano versabatur, adeoque præcipuo jure infallibilitatis dono gaudere debebat; ego certe lubentius admitto, Paulum haud novisse Pontificem, quam ut alia, magis artificiosa, quam probabili, ratione eum defendendum putem. Sed, uti mandatum Ananiæ de percutiendo Paulo nihil objectionis continebat contra Evangelium, ita nec Pauli responsio eo pertinebat. Quis hunc ipsum infallibilem dixerit, cum Romanis scriberet, se, prefecturum in Hispanias, apud ipsos diversorum esse, Rom. XV. 24. 28. nec tamen testimonia prostant idonea, quod unquam in Hispaniam venerit; cum simili spe excideret, in itinere per Macedoniam Corinthios salutatus 1 Cor. XVI. 5. coll. 2 Cor. I. 15 sqq. cum suam sententiam, divino præcepto contradicillam, Corinthiis

F 3


com-



commendaret, quam & sequi & non sequi poterant, quod locum non invenisset, si cum infallibilitate semper respondisset; 1 Cor. VII. 10. 12. 25 sqq. cum ignoraret, se Titum in Troade non inventurum, qua re plurimum in animo suo perturbabatur; 2 Cor. II. 12. 13. cuius generis alia plura sine dubio nossemus, si de vitis Apostolorum ubiores commentarios haberemus. Verum ex his quoque sufficientissime appareat, eos semper & in omnibus non fuisse infallibles.


### §. XXXVII.

Ita vero prorsus jam superfluum judicamus, quærere, annon pene ad omniscientiam aliquam acceſſerint Viri Deorum servoi, per insolitam rerum naturalium, futurorum in mundo eventuum, diei judicii extremi &c. cognitionem? Ananias quidem & Sapphiræ fraudes Act. V. Petrum latere non debebant, quia cum magno nascentis reipublicæ christianæ detrimento conjunctum fuisset, si consilia horum hominum mendacissima neque detecta, neque punita fuissent. Videbat itaque Petrus, Deorum servorum beneficio, plus, quam acutissimi inter homines videre solent; in corda eorum introspiciebat. Sed quis non manibus palpet, a singulari rei occultæ, sive etiam futuræ, revelatione, per Deorum servorum facta, ad omniscientiam nonnisi per insignem saltum concludi posse? Et tamen omnes illi Viros hosce sanctos quasi omniscios fuisse vel esse certe debuisse, præsupponunt, qui tam ægre ferunt, atque in gravissimum universæ religionis revelatæ præjudicium



cium vertunt, si quid erroris historici, geographici, aliasve generis, qui nihil prorsus ad salutem hominum momenti habet, in Scriptura deprehendisse sibi videntur; si Stephanus in sua Apologia Act. VII. cuius animus, Spiritu S. plenus, longe gravius quid tum volvebat, quam rerum israeliticarum feriem exacte tradere, forte memoria lapsus est; si quid differentiæ observatur inter V. T. diuina & eorum in N. T. allegationem, quasi semper in manibus habuissent vel V. T. codicem, vel LXX. vel etiam novam, eamque accuratissimam, versionem dare debuissent. Ego non video, cur in his adeo glorientur tum *Judaei*, tum *Deistæ*, nisi prius hoc extra omnem dubii aleam positum sit, nec debuisse nec potuisse hos Viros quicquam ignorare, *sive fuisse eos omniscios*. Profecto, instructissimi scientissimique, & quidem sine errandi periculo, fuerunt in iis, à quibus Christianorum fides salusque pendere ullo modo poterat, ac tantum quoque illis promiserat, qui poterat præstare; illimitatam vero in omnibus cognitionem, eumque scientiæ ambitum, quem vix jam distinguere liceret ab omniscientia, absit, ut illis tribuamus. Ipsi quoque sancti Viri *de successivis suis in rerum divinarum cognitione incrementis cordate testantur*; Prophetæ pie precati sunt Deum, ut oblatarum revelationum intelligentiam ipsis concederet; Dan. II. 17-19. earum quoque sensum studio ac meditatione assequi allaborabant; Dan. IX. 2. 1 Pet. I. 10. 11. Etiam post effusionem Spiritus S. ægre adducebantur Apostoli, ut gentium vocationem ad communionem Evangelii, tanquam gratam ratamque Deo, admitterent;

Act.




Act. XI. 1 - 3. 18. 20. Gal. II. 11 sqq. cuius tamen non solum semina Christus jam in suis sermonibus sparserat, sed etiam expressum mandatum dederat; Matth. XXVIII. 19. Marc. XVI. 15. ac veteres Prophetæ centies meminerant; idque absque observatione legis mosaicæ, nec suscepta in primis circumcisione, fieri posse, per multas demum ambages discebant; Act. XV. 1 sqq. XVI. 3. Gal. II. 4. V. 2. 3. VI. 12. 13. Col. II. 16. Amicæ quoque collationi ac disquisitioni subjiciebant, quæ dubia videbantur; Act. XV. 2 sqq. nec solus sapere quisquam inter eos præsumebat; 1 Cor. XIV. 32. X. 15. XI. 13. Aliorum adeo precibus se commendabant, quarum virtute in prædicando defendendoque Evangelio tanto melius se staturos sperabant; Eph. VI. 18-20. 1 Thess. V. 25. 2 Thess. III. 1. Quæ omnia locum non habuissent, si Apostoli, in rebus tam præsentibus quam futuris, ea cognitionis amplitudine gavisi fuissent, quæ proxime accessisset ad omniscientiam.

### §. XXXVIII.

Qui vero infallibles non sunt, adeoque errorem præveritate amplecti possunt; illi neque *impeccabiles* sunt, sed, salva Θρησκευσιᾳ, in rebus, quæ ejus objectum esse nunquam debebant, peccare quoque possunt. Quare nullo modo extimescimus ad istam hostium religionis malignam sedilitatem, qua undecunque corraserunt, quicquid aliquam vel imprudentiæ, vel minus ordinati cujusdam affectus ma-


cu-



culam sanctis hisce Viris adspiceret; gravioris enim delicii ne suspicionem quidem adhuc contra Apostolos moverunt. Quasi vero homines jam non probati testes in ulla re esse possent, quod homines esse non desierunt. Omnimodum infallibilitatem illis haud adscribimus; potuerunt itaque falli, errare, peccare; nec tamen inde veritas Evangelii vel tantillum labefactatur. Provocent itaque nostra pace Adversarii ad istam censuram Petri paulinam, cum Petrus, Christianorum exgentilium commercio antea libere usus, postea, ut exjudæis placeret, eidem se subduceret, Barnabam quicque, Pauli comitem, ad eandem simulationem invitaret, publice eapropter & merito a Paulo objurgatus; Gal. II. 11 sqq. Exasperent, quantum lubet, illum παρεξυσσούντο, Paulum inter & Collegas obortum; Act. XV. 37 - 39. coll. 1 Cor. XIII. 5. Objiciant Paulo inconstantiam respectu ceremoniarum judaicarum, quæ parum à simulatione abesse videtur, & quam tam fevere culpavit in Petro; Act. XVIII. 18. neque enim cum illis facimus, qui Votum istud Cenchrense non à Paulo, sed ab Aquila, suscepimus fuisse dicunt; Act. XXI. 21 sqq. XVI. 3. coll. Gal. II. 3. in quibus tamen Apostolum sapientissime fecisse, non est dubium. Exagitent artificium, viro honesto, qui sola causæ suæ bonitate niti debeat, non satis dignum, quo Pharisæos & Sadducæos, judices suos, adversus se invicem animaverit, sibique alterius partis patrocinium procuraverit; Act. XXIII. 6 - 9. de eo enim, quod Ananiam, summum sacerdotem, spectabat v. 3 - 5. non iterum dicemus. Obvertant invidiæ, quæ

G


Pau-



Paulum inter aliosque Apostolos exarserit, haud obscura  
indicia, unde factum, ut non semel Paulus in sui laudatio-  
nem pene immodicam abriperetur; Rom. XV. 19. 20. 1 Cor.  
IX. 1 - 15. XV. 10. 2 Cor. III. 1. X. 7 - 16. XI. 18 sqq. XII.  
1 sqq. Gal. I. 17 sqq. quas inter declamationes phrases pau-  
linæ, qui quam maxime Apostoli sunt, 2 Cor. XI. 5. XII. II. c.)  
Et qui in auctoritate præ aliis habebantur, Et columnae esse exi-  
stimabantur. Gal. II. 2. 9. d) aperte non nihil ironiæ secum  
ferant. Objiciant hæc & similia rigidissimi Apostolorum cen-  
sores; esto quoque, nos aliud nihil habere, quod respon-  
deamus; nec tamen quicquam illi lucrantur. Inconcussum  
stabit veritatum a Christo & Apostolis traditarum sistema,  
si vel multo frequentius dictis, aliisque similibus modis  
Apostolos peccasse admittamus. Neque enim semper & in  
omnibus eos infallibles, ergo nec impeccabiles, fuisse statui-  
mus. Respondet quoque ipse Paulus, postquam satis mag-  
nifice de se locutus esset, mox subjiciens: *Habemus autem*  
*thesaurum hunc in vasculis testaceis, valde infirmis & fragili-*  
*bis, ut excellentia virtutis sit Dei, Et non ex nobis;* 2 Cor.  
IV. 7. atque iterum: *quod dico, non dico secundum Domi-*  
*nūm, sed tanquam in desipientia, in præfidente iſta fiducia glo-*  
*ria-*

ε) Λογιζομαι γαρ, μιδεν ὑσερηκεναι των ὑπερλιαν αποσολων.

δ) Και αναθεμην αυτοις το ευαγγελιον, ὁ κηρυξτω εν τοις  
εθνεστ, κατ' ιδιαν δε τοις δοκηστ. — οι δοκηντες συλοι  
ειγαι.



gloriationis. 2 Cor. XI. 17. e) Quidni valeat apud nos ipsius Viri cordatissimi protestatio? Si dicas: ergo θεοπρεψα sunt, & secundum Dominum dicta, quæcunque Paulus non adjecta hac exceptione dixit scripsitque; nimium tribuis argumento negativo, & parum attendis ad ηθος apostolicum, quod hoc loco expressam exceptionem magis poscebat, quam in aliis. Hæc de Apostolis. Qui vero veterum quorundam sanctorum virorum, Abrahami, Davidis, aliorumque dicta & facta pene omnia, a Deistis, BÆLIO in primis, impugnata, excusanda & defendenda sibi sumserunt, cur id fecerint, faciendumque putaverint, quasi in magnum religionis fulcimentum, ego quidem vix intelligo.


### §. XXXIX.

III. Quae sub statu θεοπρεψiac donorum & qualitatum naturalium, quibus Viri sancti pollebant, fuerit ratio, quisve unus, copiose disquiri, opus vix erit. Quod enim alias dicuntur, & quotidiana etiam experientia confirmatur, perfici quidem naturam per gratiam, sed non tolli, illud hoc quoque quadrat. Argumentum hujus rei sufficientissimum, præter agendi modum, alium in hoc, alium in illo, ipsis factis demonstratum, vel sola stili diversitas subministrat, quam in scriptis horum Virorum deprehendimus. Quantum non interest inter Jesaiam & Amosum? inter Paulum &

G 2

Joh-

e) ὡς εν αὐτοῖς γένεται, εν ταύτη τη ὑποθέσει της καυχησεως.



Johannem? Quis non in gentium Apostolo, sive nationis litteratura exculto, ideas concatenandi & ratiocinia necendi artificium admiratur, quod frustra quæsierit in Apostolis reliquis, hominibus illiteratis, piseatoribus, aliisque antea opificiis addictis? Quia in re si summam Spiritus divini demissionem veneramur, recte quidem facimus; nec tamen id, quod maxime stupendum in ea est, vel explicamus, vel etiam concipimus. Mysteria enim divina, veritates prius non cognitas, sic plurium animis instillare, sic plurium sermonibus efferre, ut modus, quo id fiat, diversa illa quidem plurium ingenia sapiat, nec tamen quicquam ex ista diversitate trahat, quod puritati ac sinceritati dicendorum obserbit; id certe, si quid aliud, infinitæ sapientiæ, immensæ potentiarum opus est, cujus intimam rationem nos haud perspicimus. Verum nec ignorare nos pudeat, quomodo Deus faciat, quæ facit. Cum porro, quod eodem pertinet, ea sit hominum conditio, ut, pro diversa temperanterorum conformatione, alii in hos affectus prioniores sint, alii in alias, etiam in his θεοπνευστι vim minime intulit humanæ naturæ. Non impedivit, neque cohibuit istum παρεξυγαγειν, Paulum inter & Collegas exortum; Act. XV. 37 sqq. neque meticulositatem & diffidentiam Petri; Gal. II. 12. neque votum istud Pauli imprudentissimum, contra primum hominis officium impingens, nec nisi per affectus vehementiam, ulla ratione excusandum; Rom. IX. 3. neque impatientiam Jeremiæ, quovis viro sapiente ac pio indignam; Jer. XX. 14-18. quibus iterum confirmatur iterumque, ho-

mi-


mīnes mansisse Viros *Θεοπνευστας*, neque ab omni p̄rincipi-  
tantia atque errore immunes nobis videri debere, nisi quan-  
do Dei p̄ræcise & Christi, non suam causam, agebant.

§. XL.

*Quibus IV. criteriis* *status Θεοπνευστας* *potuerit distingui*  
*a donis spiritualibus & supernaturalibus*, tum ordinariis tum  
extraordinariis, difficillime definitur ab iis, qui notione,  
hujus rei experimentaliter destituuntur. Dudum quæsitum  
fuit de notis, per quas prophetæ ipsi de acceptæ revelatio-  
nis divinitate, & consequenter veritate quoque, persuasi  
fuerint, ut certi essent, se non existantiores *sui* animi re-  
præsentationes, vel etiam propriæ phantasie imagines,  
habere pro revelationibus divinis. Allegatas inveni ejusmo-  
di notas *Dei revelantis maiestatem*, *prehensam insignem lu-*  
*cem ipsius revelationis*, denique *rerum revelatarum Θεοπνευ-*  
*sticarum*. Verum enim vero, cum *primum* certe non in omni ca-  
su, potius in paucissimis, locum habuerit; *alterum* gratis pror-  
fus assumatur, ac *tertium* ejus generis sit, ut ipsa rei reve-  
latæ *Θεοπνευστæ* apud animum, circumspectiorem dicam, an  
timidiorem? nonnunquam in dubio esse possit; e. g. Ezech.  
IV. 2 - 12. 14. Hof. I. 2. 3. Act. X. 11 - 14. equidem in hac  
responsione parum video, quod satisfaciat. Jam ponamus,  
Apostolos, ex institutione Christi orali & subsecuta medi-  
tatione & experientia quotidiana, per ordinaria Spiritus S.

G 3

bene-




neficia, non mediocri jam rerum spiritualium cognitione auctos, 1 Cor. VII. 12. 25. 26. 35. 40. ex *Deo pueris* nunc aquid sive loqui, sive agere debuisse; Act. VIII. 29. X. 19. XI. 12. 28. quibus quæsto criteriis novum hocce & *extraordinarium* Spiritus ministerium ab *ordinario* potuerunt discernere? quid certos eos fecit, non suo motu se jam ferri, non sua cognitione uti; sed impellente, sugerente *per gratiam*, *extraordinariam*, Spiritu Sancto?

### §. XLI.

Respondeo: Apostolos unum statum ab altero certo distinguere potuisse, *res facti* est, ex eo in primis manifestissima, quod eos nonnunquam per Spiritum S. prohibitos esse legimus, ne, quod ipsis constitutum erat, exsequerentur; Act. XVI. 6. 7. sed *quomodo* distinxerint, ignorantiam profiteri haud erubescimus. Res pendebat a sensu horum Virorum interno; non enim quæstio est de illis casibus, qui per objectam speciem visibilem suam certitudinem, ex sensuum externorum testimonio secum ferebant; Act. V. 19. VIII. 26. X. 13. XII. 7. &c. de sensu autem interno judicare nequit ejusdem sensationis nunquam compos factus. Hoc tantum generatim dicere possumus, ejusmodi afflatus impulsusque Spiritus S. immediatos, *extraordinarios*, miro aliquo tum claritatis, tum *ενεργειας* sensu certos tutosque reddere debuisse Viros sanctos, ne sua unquam confunderent cum divinis. Cæterum, si suspensus quasi fuit donorum or-

*di-*




diniorum usus per hæc *extraordinaria*; etiam hæc tamen ad illorum majorem perfectionem faciebant. Status quidem Θεοπνευστιας erat *transitorius*; sed eapropter ex animis Virorum Θεοπνευστων non iterum excidebant, quæ impressa eis fuerant.

### §. XLII.

Nec facilius expeditur quæstio, *quomodo Θεοπνευσια ad alia dona extraordinaria & miraculosa sese habuerit*. Suo quidem modo differebat ab illis, nec tamen æque ab omnibus. Quam diversi illa generis fuerint, ex sola recensione Pauli 1 Cor. XII. 4 - 11. & Cap. XIV. satis constat; sed plura eorum haud incommode sub Θεοπνευσιᾳ comprehensa, sive certas ejus species dixeris; quamvis vicissim, alio respectu, Θεοπνευσιαν speciem donorum extraordinariorum, eamque procul dubio nobilissimam, vocare liceat. Huc referri possunt sermo sapientiae & sermo cognitionis v. 8. prophetia & distinctiones spirituum, genera linguarum & interpretatio linguarum v. 10. f) Quæ singula, quatenus dona extraordinaria fuerunt, uti sumi heic debent, ex Θεοπνευσιᾳ videntur fluxisse, postmodum vero in certos habitus abiisse, quorum usus, in publica Ecclesiæ commoda, ad minimum satis frequenter, in eorum arbitrio positus erat, qui istis gaudebant. Quæ vero

f) λογος σοφιας, λογος γνωσεως. προφητεια, διαχρισις πνευματων, γενη γλωσσων, ερμηνεια γλωσσων.




vero singulorum vera ratio fuerit, quisve ambitus, ad nostram causam nihil spectat. De *linguarum dono* mox plura dicentur. Immo etiam reliquorum *χαρισμάτων* exercitium suo modo sub *Θεοπνευσίᾳ* stetisse dicendum erit. Non enim putaverim, eos, qui e. g. *dono sanationum* pollebant, quavis data occasione illud applicavisse, morbosque & infirmitates omnes ubivis locorum fugasse, quod ne potuissent quidem, teste ipsius Christi exemplo; Matth. XIII. 58. coll. Marc. VI. 5. Monendi itaque, sive excitandi fuerunt Apostoli, quando & in quibus virtutis sibi concreditæ specimina ederent, quod fieri non poterat, nisi per *Θεοπνευσίαν*.

### §. XLIII.

V. Quomodo in specie *linguarum donum* ad *Θεοπνευσίαν* ejusque statum se habnerit, non una responsione explanari potest. Donum hoc ipsum in omnium oculis quam maxime stupendum miraculum fuisse, omnes concedunt. Posunt in aliis effectibus, supra omnem humanam vim positis, Apostoli considerari ut causæ mere *morates*, sic ut, ad eorum preces, Deus ipse miraculum patrarit; heic vero in ipsis Apostolorum animis aliquid contigit, quod omnem nostram intelligentiam superat. Hoc itaque donum, si quod aliud, per immediatam Dei & Spiritus S. operationem, eamque prorsus extraordinariam, impertiri debuit. Qui rem facilius sibi comprehendere visi sunt, si miraculum potius in auribus audientium, quam in linguis loquentium, quæ-

re-




rerent, mirifice sibi imposuerunt. Præter enim id, quod manifeste verbis Historici contradicunt: *Et coeperunt loqui aliis linguis, prout Spiritus illis dabat effari;* Act II. 4. miraculum unum idemque, in singulis factum, qui peregrinis linguis loquèbantur, pene in infinitum multiplicant. Neque, qui Romanæ Ecclesiæ addicti sunt, hodie gloriabuntur, S. Antonium de Padua, Romæ concionantem, a diversarum nationum hominibus, qui Indulgentiarum causa urbem adiverant, sic intellectum esse, ac si suæ quisque patriæ idiomæ audiret.

#### §. XLIV.

Primam hujus doni promissionem Christus suis discipulis fecit mox adscensurus in cœlum; sed non illis solis, verum etiam iis, qui per ipsorum ministerium sint credituri; Marc. XVI. 17. Stetit quoque promissio tum ad Apostulos, & sine dubio ad cæteros quoque, qui congregati cum illis erant, in solenni ista effusione Spiritus S. pentecostali; Act. II. 4 sqq. tum ad alios, qui nomen ipsi dederunt, &, cum aliis donis extraordinariis, etiam hoc linguarum dono inactati fuerunt; Act. X. 45. 46. XIX. 6. 1 Cor. XII. XIV. ubi frequentissima hujus rei mentio occurrit. Jam vero primam hujus doni collationem *speciem θεοπνευσίας* fuisse, qua linguae prius non cognitæ notitia & facultas animis infundebatur, quemadmodum & alia regni Christi mysteria per eandem θεοπνευσίαν communicabantur cum Apostolis, eo-

H

rum



rum antea ignaris, nulli videtur dubio expositum esse. Sed cum supra ostensum sit, §. XXXII. θεοπρεψταν aliquid transitorii fuisse, jure jam quæritur, an eadem quoque ratio fuerit doni linguarum; an vero hoc per modum habitus constanter adfuerit iis, qui semel illud acceperant?

## XLV.

Olim, de Apostolis certe, communī pene consensu, prius affirmarunt Theologi, rationem asserti quam maxime pententes ex munere apostolico. Quoniam enim hi Viri Christi testes esse debebant, non tantam Hierosolymis & in universa Iudea & Samaria, sed etiam usque ad extremum terrae; Act. I. 8. & praeconium Jesu Christi, ad obedientiam fidei, declarare omnibus gentibus; Rom. XVI. 25. 26. non videbantur unquam carere posse hoc linguarum dono, si quidem ad omnes omnium gentium homines, quorum vel terras adierunt, vel quos fors ipsis obtulit, Evangelium Jesu Christi modo intelligibili propagare voluerint; quare etiam Paulus ad Corinthios scripserit: *Gratias ago Deo meo, quod magis, quam vos omnes, linguis loquor.* 1 Cor. XIV. 18. Nec impossibilitas rei quemquam terrebat, cum notum sit, Ponti Regem Mithridatem, naturali folertia id effecisse, ut duarum & viginti gentium diversarum, quibus imperabat, ore loqueretur. Fuerit itaque peregrinarum linguarum facultas habitus, animis Apostolorum alte impressus, seque actu ipso exserens, quotiescumque occasio ita ferebat. Sic ve-

ro




ro non jam ad *Geonπνευσιαν* referri potest, in qua habitum permanentem non agnoscimus.

### §. XLVI.

Recentius autem, Viri nonnulli præstantissimi, negato habitu, isthoc linguarum charisma in motu Spiritus S. transiente posuerunt, quali e. g. Viri S. in inspiratione divina inter scribendum usi sint, qui tamen motus, maxime inter conventus sacros, subinde redierit, & sic *habitus instar* quidem fuerit; sed non ita, ut Apostoli aliquie eas linguas, quibus in motu illo divino loquerentur, ita postea in potestate haberent, ut iis in vita quotidiana, in sermonibus quibuscumque, atque in scribendo, uti pro lubitu possent. In hanc sententiam Viros eruditos induxit, quod linguarum dono gavisi sunt etiam Christiani tales, qui nunquam ad præconium Evangelii, multo minus inter exterias gentes exsequendum, destinati fuerunt; Act. X. 24. 33. 44. 46. Act. XIX. 1 - 6. 1 Cor. XIV. 15. 23. 26. sq. quod, qui linguis peregrinis utebantur in precibus, in laudibus Dei concelebrandis, *spiritu* quidem, *τω πνευματι*; sed non simul mente, *τω τοι*, *δια τη ροος*, precari & laudare dicebantur; quo pacto, qui loquebantur variis linguis, a Spiritu valide affecti & in ecstasi rapti fuerunt, ut, non quod ipsi vellet, sed quod Spiritus suggereret, eloquendum ipsis esset; 1 Cor. XIV. 13 sqq. quare etiam sæpiissime ipsis, quæ proferrent, non intelligebant, adeoque nec lingua vernacula

H 2


aliis



aliis interpretari poterant, quod longe secus se habuisset, si linguarum donum per modum habitus in ipsis Christianis permanens quid fuisset; 1 Cor. XIV. 27. 28. Itaque, hoc sensu acceptum, linguarum donum tantum faciebat ad demonstrationem Spiritus, uberrime in Ecclesia regnantis, & simul ad veritatem Evangelii validissime comprobandam, non vero ad instructiores reddendos Apostolos, ad officium inter exteris & diversarum linguarum gentes tanto felicius obeundum, quo quippe subsidio ne opus quidem habuerint, cum sola lingua græca ei scopo sufficerit, quia, Tullio teste, *Graeca tum legebantur in omnibus fere gentibus.* Atque sic doni hujus linguarum descriptio nata est hæc, quod interdum homines repente, cum ipsi non ita proposuissent, instinctu Spiritus S. in conventu publico cœperint loqui lingua peregrina, quæ interdum ipsi interpretari auditoribus poterant, interdum aliis interpretanda relinquere cogebantur; id quod fecerint, non docendi causa, sed ad convictionem incredulorum, ut isti intelligerent, in Ecclesia christiana esse Spiritum S. qui tanata res operaretur. Quibus positis plana jam fluit conclusio, toties Apostolos primosque Christianos Θεοπνευστας actum expertos esse, quoties linguis peregrinis locuti sunt; sed nihil in hoc dono fuisse permanens ac perpetuum, nihil, quod statum aliquem Θεοπνευστας vel fundaret vel perficeret.

### §. XLVII.

At vero, cur non in hac quoque causa, ut alibi saepius, unius rei plures potuerunt esse fines, adeoque etiam ejus-



eiusdem doni multiplex usus? Valeant omnino, quæ ha-  
etenus audivimus, de iis Christianis, qui, nullo docendi  
munere, neque inter suos neque inter exterorū instruēti, in  
conventibus suis, linguis loquebantur peregrinis; sed alia  
prorsus Apostolorum heic ratio fuit, qui variarum lingua-  
rum dono, subinde pro rei necessitate excitando & usurpan-  
do, fane carere non potuerunt, si officio sibi demandato sem-  
per & ubivis rite debebant defungi. Præcipuum erat hoc  
donum, quod effusionem Spiritus S. pentecostalem illustra-  
vit; immedieate vero cum hac effusione testimonium Apo-  
stolorum, ad extreūm usque terrae dilatandum, Christus con-  
junxerat; Act. I. 8. quod quantis difficultatibus obnoxium  
fuisse absque hoc linguarum dono, nostrorum Missionario-  
rum historia, lentique admodum progressus, abunde decla-  
rant. Argumentum quoque rei præbent ipsa Apostolorum  
scripta, græce exarata, cujus linguae copiam Viros illos il-  
literatos, Galilæos, qui alias a litterarum studiis alieniores  
erant, quam reliqui Judæi, ante Spiritus S. effusionem jam  
habuisse, nulla probabili ratione ostendi potest. Neque ve-  
ro sufficiebat unica græca lingua, non obstante Tullii testi-  
monio. *Aliud enim est, Græca in omnibus fere gentibus*  
*leguntur; aliud, qui græce scit, is in omnibus gentibus,*  
*ad omnes & omnis generis homines, etiam ex multitudine*  
*imperita, verba facere, atque intelligi ab illis potest.* No-  
stra ætate gallica in omnibus gentibus europæis leguntur;  
at quis Missionarium, qui hanc solam linguam calleat, in  
omnibus europæis gentibus Evangelium cum fructu prædi-



care posse dixerit! Fuit itaque, in Apostolis certe, aliisque Evangelii præconibus, hocce linguarum donum aliquid permanens; atque hoc respectu, si ad statum *Θεοπνευστας* illud referre velis, equidem non repugno; ipse tamen consequens, seu effectum *Θεοπνευστας*, quæ semel obtigit & transiit, dicere malim.


### §. XLVIII.

Atque sic tandem ad arcem causæ pertigimus. Quæritur VI. *Quousque Viris sanctis etiam scribentibus status Θεοπνευστας vindicari jure possit?* Ad nos enim universa de *Θεοπνευστa* disputatio hoc præcipue, immo unice, momentum habet, quod Viri isti sancti *auctores scriptorum exstiterunt*, ex quibus, mature finito Apostolorum præconio orali, subsequentium temporum Christiani omnes sapere, suæque fidei & spei fundamenta sumere tenentur. Stat igitur cunctaque religionis nostræ divina auctoritas, veritas ac certitudo omnis, prouti *scripta*, ex quibus illam discimus doceamusque, vel habuerunt, vel non habuerunt auctores *Θεοπνευστa*.

### §. XLIX.

*Scripturae V. T. Θεοπνευστa* testimonium a Paulo perhibutum fuisse, statim sub limine hujus tractationis vidi mus; & quo illud sensu intelligendum sit, copiose expsuimus. Quæstio ergo nobis heic erit de solis *Scriptis N.*

T.




T. De his, maxime ut unum corpus, unam γέαρν, formantibus, nihil ejusmodi habetur; neque vero etiam Apostolorum quisquam de *Toto* testari potuit, quod post omnium excessum demum in hoc *Totum* coivit. Atque eatenus testimonium pro Θεοπνευστι Scripturæ N. T. non potest esse, nisi ecclesiasticum, adeoque humanum. Neque enim in promissionibus Christi de Θεοπνευστι Apostolorum quicquam deprehendimus, quod nominatim ad scripta eorum futura pertineat. Quo pacto non tam expeditum videtur, Scripturæ N. T. Θεοπνευστι firmis argumentis adstruere.

### §. L.

At salva res est. Quod si enim in præconio Evangelii oralis Θεοπνευστις beneficio gavili sunt Apostoli; per irrefragabilem conclusionem a minori ad majus, exinde inferimus, eodem beneficio eosdem etiani in conficiendis suis scriptis fuisse gavilos, quæ non pauciorum tantum hominum, quibus Apostolos audire licuit, sed omnes omnium temporum mortales in sua fide in Christum debebant regere usque ad seculi finem. Modo diximus, nullam jam præconii Apostolorum oralis ad nos vim esse usumque, nisi quantum forte per traditionem ecclesiasticam, sive scriptam sive non scriptam, ad nos pervenerit, quod quam dubium incertumque medium fuisset, sinceram Evangelii doctrinam inter homines dilatandi & conservandi, non opus est dicere. Ergo, si voluit Christus, uti voluit, ut per ministerium Apostolo-

rum



rum omnes gentes, & quidem ἡώς συντελειας της αιωνος, Matth. XXVIII. 19. 20. ad fidem in ipsum, & quidem firma ac certa ratione, perducerentur; fieri id non potuit, nisi ut vel vitam Apostolorum ἡώς συντελειας της αιωνος prorogaret; vel ut in eorum obeuntium locum continue surrogaret præco-  
nes Evangelii alios, iisdem donis, eadem quoque Θεοπνευστια  
instructos; vel ut Apostolos scriptis docere juberet futuras generationes, iisdemque talibus, quæ non minoribus præ-  
rogativis, Θεοπνευστια in primis, gauderent, quam istæ fue-  
runt, quæ præconio eorum orali auctoritatem compararunt divinam. Cum vero *primum*, ut inter omnes constat, locum non habuerit; *alterum* vero neque promissum ullibi fuerit, neque etiam facto ipso præstitum; non remanet nisi *tertium*, sive scripta Apostolorum æque debent esse Θεο-  
πνευστια, quam quidem ea fuerunt, quæ in sermonibus suis ad fundandam, ædificandam, regendam Christi Ecclesiam protulerunt. Quod si aliter se haberet, vel constantiam de-  
sideraremus in consiliis optimi Servatoris; vel ipse non eundem omnibus hominibus præstisset amorem, quorum tam-  
en omnium æque redemptor esse voluit; vel impotentiae esset arguendus, ut qui efficere haud potuisset, quæ statuerat promiseratque efficere.

### §. LI.

Quare & Apostoli ipsi, quotiescunque in suorum *scriptorum* mentionem incident, ne suspicioni quidem lo-  
cum


cum relinquunt, quasi minoris illa auctoritatis essent, quam sui sermones; potius aperte, quæ scriberent, in horum locum surrogata volunt. Vid. Joh. XXI. 24. 1 Joh. I. 3. 4. 1 Cor. XIV. 37. XV. 1. Eph. III. 4. 5. Col. IV. 16. 1 Thess. V. 27. 2 Thess. II. 2. 1 Pet. V. 12. 2 Pet. III. 1. 15. Itaque ad adstruendam scriptorum apostolicorum *Θεοπνευστιας* plus non requirebatur, quam ut primi Ecclesiæ Doctores solicite inquirerent, quæ scripta Apostolos vere habent auctores; atque hoc humanæ diligentiae res erat. Id ipsum vero, qua fide, cura ac solicitudine præstitum sit a primis Christianis, hujus loci non est fusius exponi. Neque, testimonium hocce mere *humanum* esse, quisquam obvertat. Non testati sunt homines, nisi de *auctore scripti*, quem certo scire poterant; quo autem loco habenda sint horum auctorum scripta, id non ab isto testimonio pendebat, sed a prærogativis, quibus Christus ipse Apostolos suos muniverat, & pro demandati ipsis muneris ratione munire quoque debuerat. Ita vero scriptorum horum *Θεοπνευστια* divino nititur testimonio.

### §. LII.

Interim, cum hactenus ostensum sit, non tam late patuisse *Θεοπνευστιας* donum, ut, qui semel illud accepissent, sub continuo statu *Θεοπνευστιας* vixerint, nec solito amplius humano more, cuius proprium est, falli atque errare posse, dixerint quicquam egerintve; quærere jam liceat, num

I

sus-



sufficienti cum ratione statui possit, Apostolos in exarandi suis scriptis una eademque, seu continua, Θεοπνευστικos fuisse, sic ut singulæ eorum partes eidem Spiritui adscribendæ sint? An vero rationi magis consentaneum sit, Θεοπνευστικo scribentibus indultam restringere ad ipsa capita doctrinæ sanctioris, ad mysteria fidei, ad instituta denique talia, in quibus divinam auctoritatem certo agnoscí, sive omnium, sive illius certe temporis Christianorum plurimum referebat? Non tractabimus quæstionem, nisi, si ita placet, *problematico*, quamvis certa nobis stet sententia, etiam, si posterius assumatur, nihil prorsus inde vel sanctitati vel veritati ac certitudini religionis periculi imminere.

### §. LIII.

Primo autem non succurrit idoneum argumentum, quod evincat, magis continuam adesse debuisse Θεοπνευστικo scribentibus Apostolis, quam quidem dicentibus & agentibus. Videtur quidem id ex eo non posse non consequi, quod scripta eorum Christianis in perpetuam fidei vitæque regulam destinata erant. Quantum vero hæc ratio probat, non est contra nostrum assertum; si plus inde inferas, a parte ad totum, a particulari ad universale concludis. Falleris quoque, si in scriptione hoc respectu longe majus momentum ponas, adeoque continuam Θεοπνευστικo magis necessariam putas, quam in præconio orali; facilius enim in alienum sensum rapiuntur

De


*demissa per aurem,*

*Quam quae sunt oculis subiecta fidelibus.*

Deinde non habetur promissio *Deoπνευσιας* in proponendis iis, quæ per se recte norant Apostoli: quo jure tale quid scribentibus vindicandum existimemus? *Ducendi* erant per *Spiritum S. in omnem veritatem*; Joh. XVI. 13. nimirum, quotiescumque, hoc duce destituti, a veritate fuissent aberraturi. Jesum ex mortuis resurrexisse, primarium illud & prædicationis & scriptoris apostolicæ caput, ex certissimo sensuum testimonio habebant. Num etiam hoc ipsis per *Deoπνευσιαν* innotuisse dicemus? Putas forte: sed hoc tamen *Deoπνευσων* norant, quando & quo *nexus vel ordine* in suis scriptis singula proferre debebant? Assentior, si testimonio divino id probes; quod dum non feceris, vereor, ne, quos ornare & extollere vis Apostolos, potius deprimas, omnique proprio iudicio, per gratiam ordinariam tam formato quam firmato, pene exuas. Aequi injurius in eos existis, si id a *Deoπνευσia* repetas, quod tam candide suos ipsorum nævos exposuerunt. Magis virum probum, & ab omni simulatione alienum, se prodit, qui sponte profitetur, si quid peccavit; quam qui jussus sive impulsus ab alio id facit.


#### §. LIV.

Maximam partem Scriptorum apostolicorum constituant *Epistolæ*, quarum natura familiare aliquod scribendi genus poscit. Inspectio quoque docet, talia quandoque his scriptis immiscuisse Apostolos, qualia nunquam in illis lo-



cum invenissent, si in gravi aliquo religionis argumento, ordinate & systematice tradendo, versati fuissent. At familiaris Epistolarum tenor nihil respuebat, ne Pauli quidem *penulam & libellos & membranas*; 2 Tim. IV. 13. Num etiam in his θεοπνευσός Paulus, uti in eminentissimo ejusdem Epistolæ loco de aeterno gratiae divinae confilio per apparitionem Jesu Christi manifestato; Cap. I. 8 - 10. Repeto, quod supra dictum est: sapientissimus Deus nihil facit de superfluo. Possent, præter salutationes istas quam plurimas, hujus generis alia multa excitari. Liceat in primis eo referre, quando Paulus de semet ipso, deque sua cum aliis Apostolis comparatione, tam copiose differit. Recte ais, hæc magnam vim habuisse, ac vere necessaria fuisse ad confirmandam Apostoli auctoritatem, qua sublata, vel in dubium vocata, desisset esse *Vas istud electum Dei, ad portandum nomen Jesu Christi coram gentibus & regibus & filiis Israel*; Act. IX. 15. neque dedecabant hæc *personalia* familiaritatem epistolicam: at vero singula hæc, æque ac ipsa religionis dogmata, ex θεοπνευσίᾳ esse, nisi per petitionem principii, vix demonstrare posse videris. Summa esto: si Viri hi sancti loqui & agere potuerunt non - θεοπνευσώς; Vid. supra §§. XXXVI. XXXVIII. non video equidem, cur non etiam non - θεοπνευσώς, sed *ex proprio proposito judicioque* potuerint aliqua scribere: e. g. Rom. XV. 24. 28. 1 Cor. XVI. 5. 2 Cor. I. 15. &c.

§. LV.



## §. LV.

Apprime vero hæc moderatior nostra sententia faceret ad difficultates neque paucas neque leves, ab hostibus religionis motas, facili opera solvendas. Cf. supra §§. modo citatos. Erraverit Evangelista in excitando vel applicando aliquo dicto V. T. num eapropter desinet esse testis fide dignus eorum, quæ de persona & dictis & factis Jesu Christi refert, cujus perpetuus comes erat? Esto, relationes mulierum de resurrectione Servatoris Matth. XXVIII. 1 seqq. Marc. XVI. 1 seqq. Luc. XXIV. 1 seqq. Joh. XX. 1 seqq. non posse componi, quod tamen absit ut concedamus; quid inde sequetur? Quod Christus non resurrexerit? Ita *Fragmentarius* seu *Dammius* aliquis concludat. Nos ita judicamus: singulæ narrarunt, quod sibi vel vidisse vel audisse videbantur; singularum vero narrata, quæ nec sibi forte semper constabant, ut plerumque accidit in iis, quæ inexpectata, & in magno animi angore versantes, videmus sive audimus, Evangelistæ, uti narrabantur, id quod boni Historici officium poscit, scripto consignabant. Num itaque etiam mulierculas istas Θεοπνευστις declarabimus, ne quid erroris in suis narrationibus committere potuerint? An vero Evangelistæ Θεοπνευστοι aliter prius a Spiritu S. debuerunt edoceri, ut dixisse mulieres, & mira quidem harmonia dixisse, scriberent, quæ non dixerant? Vide, utrum assumas; mihi quidem non deest, quod respondeam.



## §. LVI.

Notum est, contra *Θεοπνευσιαν* Evangelii Lucæ a multis objectum esse libri exordium v. 1 - 4. quod adeo non divinum mandatum sive inspirationem sapiat, ut plane libri scribendi consilium *sibi* tribuat Lucas. Difficilis videbatur responso; unde extiterunt, qui, ne prorsus deesset, quod dicerent, in voce *αὐτὸν* v. 3. confessionem de sua *Θεοπνευσιᾳ*, utpote qui *desuper, superne, coelitus* g) omnia edocitus fuerit, Lucam edidisse arbitrarentur. Crucem quoque fixerunt Theologis *transpositiones*, quæ alio, quam factæ sunt, ordine plures res Christi gestas exponunt; quia utrumque æque impie dici videbatur, Spiritum S. vel non potuisse, vel non voluisse historicum & naturalem factorum ordinem constanter persequi: sed salva res est. Et hæc & alia plura Lucæ debeantur ingenio; nec tamen minus fidem meretur, nec minus præmunitus fuit, ne quid erronei seu falsi scriberet in prohibendo de Jesu Christo testimonio, quod a viris fide dignissimis acceperat. At vero, si dicatur omnino *Θεοπνευσως* scripsisse; non tamen singulæ scripti *particulae*, & *modus & ordo*, quo scripsit, æque fluxerunt ex *Θεοπνευσιᾳ*. Eundem in modum jam supra observavimus, §. XXXVIII. non ita semper a vehementiore affectu sibi temperasse Apostolos, ut, quidquid dixerunt feceruntque, eodem *Θεοπνευσιας* nomine commenda-


g) Εδέξε καμοι παρηκολεθηκότι αὐτὸν πασιν εκρίθως.

dari possit. Addatur iis locis 2 Tim. IV. 14. ubi profecto non idem spiritus evangelicus Paulum animavit, qui postea v. 16. Varie hæc amplificata sunt ab *Antiscripturariis*, veterum quoque prophetarum quorundam exempla in medium afferentibus. Sed cur negemus, Viris his in scribendo aliquid excidere potuisse, quod minus decebat; cum eos etiam fecisse, quod rectius omisissent, negare haud possimus; neque omnino de infallibilitate eorum absoluta, nedum impeccabilitate, ullibi testetur Scriptura? cf. supra §. XXXVIII. Sufficere hæc possunt ad formandum regendumque nostrum *de statu Θεοπνευστιας in Viris sanctis librorum sacrorum auctoribus* judicium.

### §. LVII.

Ne quis autem ex imperitia existimet, tenuius justo nos de Θεοπνευστιᾳ statuisse, honorique Scriptorum sacrorum aliquid detraxisse, suffragia nonnulla apponimus, non RICH. SIMONII, VERSEI, CLERICI, SEMLERI, &c. sed Virorum alias probatissimorum, ad illustrationem & confirmationem, etiam, si opus sit, defensionem, eorum, quæ diximus, quam maxime apud æquos judices, valitura; idque eo magis necessarium judicamus, quod in omni tractatione hac ab aliorum auctoritate studiose abstinuimus. Quibus nostræ Commentationis locis singula respondeant, uti etiam, *quousque illa nostra faciamus*, Lector non diu hærebit. Agmen-  
ducat.

LU-



LUTHERUS ipse in der Vorrede über die Annotations D. WENCESL. LINCKII. über die fünf Bücher Mosis, T. VIII. Altenb. p. 304. Und haben ohne Zweifel auf diese Weise die Propheten in Mose, und die letzten Propheten in den ersten studirt, und ihre guten Gedanken, vom H. Geist eingegeben, in ein Buch aufgeschrieben. Dann es sind nicht solche Leute gewesen, wie die Geister und Rotten, die Mosen haben unter die Bank gesteckt, und eigene Gesicht gedichtet, und Träume gepredigt, sondern sich in Mose täglich und fleissig geübt, wie er dann auch gar oft und hart befiehlt, sein Buch zu lesen, auch dem König, Deut. 17. und Josuä 1. Ob aber denselben guten treuen Lehrern und Forschern der Schrift, zu weilen auch mit unterfiel Heu, Stroh, Holz, und nicht eitel Silber, Gold, Edelstein baueten, so bleibt doch der Grund da, das andere verzehrt das Feur des Tags.

*Idem Enarr. in Genes. Cap. XII. T. II. fol. XIII. Pugnant igitur Moses, & Stephanus. Hos quomodo conciliabimus? Uterque enim fide dignus est testis, & tamen inter se non conveniunt. Responderi solet: Bis vocatum Abrahamum: semel in Ur-Chaldæorum, fortasse per Patriarcham Sem, & postea in Haran; Mosen autem contentum esse recitatione posterioris vocationis in Haran. Ita non pugnabant hi testes. Nam Mose posteriorem, Stephanus priorem recitat. Mihi tamen sic videtur, accuratam rei gestae narrationem a Mose texi, non a Stephano, qui profecto hujus historiae cognitionem tantum ex Mose hausit. Saepe autem fit, cum obiter recitamus aliquid, ut circumstantias omnes non ita observemus diligenter, sicut qui in eo sunt, ut historiam rei gestae relinquant posteris scriptam. Mose igitur Historicus est; Stephanus, cum Historia apud Mosen sit, de circumstantiis parum solicitus, hoc tantum agit, ut intelligent auditores, patrem hujus populi neque legem nec templum habuisse, & tamen Deo gratum fuisse ac placuisse. Hoc caput negotii est, quo Stephanus urget. &c.*

GU-

GUIL. CAVE, in *Antiqq. Apostolicis de prærogativis Apostolorum* p. 171. Zum andern waren sie ganz unfehlbar, und für allem Irrthum frey, nemlich in *Mittheilung der Lehren und Grundzüge des Christenthums.* Dann ob sie schon nicht schlechterdings für allen Fehler und Versehen, dem Leben nach, privilegiert waren (inmassen der gleichen nur ihre Privatperson betrafen) so waren sie dennoch frey für allem Irrthum in der Lehre, weilen nemlich dieses eine Sache war, woran der Menschen ihres Seligkeit und ewiger Nuzen hing. Und zu solchem Ende nun wurde ihnen der Geist der Wahrheit versprochen, der sie in alle Wahrheit leiten sollte. Idem p. 353 de Pauli & Petri disceptatione & de παρεξυσμῷ inter Paulum & Barnabam exorto: Petrus gieng nun anfänglich, nach dem Schluss des Concilii, ganz frey und ungescheut mit den Heiden um; allein nachgehends, da einige Juden von Jerusalem dahin kamen, wolte er ferner keine Gesellschaft mit ihnen haben, nicht anders, als ob solches verboten, und nicht zugelassen gewesen wäre. Hiedurch nun wurden vieler Glaubigen Gemüther nicht wenig verwirret, und ihre Gewissen sehr verstrikt. Unter andern empfund auch Paulus ein gross Missfallen darüber, und strafte ihn daher öffentlich, und zwar, nach Erforderung der Saché, mit einem höchstscharfen und schmerzlichen Verweise. Nicht lange daran nahmen sich Paulus und Barnabas vor, die unter den Heiden unlängst gepflanzte Gemeinden zu besuchen; zu welchem Ende dann Barnabas seinen Vetter, Marcum, mitzunehmen entschloß. Solches aber wolte Paulus durchaus nicht bewilligen, und zwar aus dieser Ursache, weil er sie auf der vorigen Reise verlassen hätte. Aus welchem geringen Fünklein eine grosse Zwistig- und Uneinigkeit zwischen diesen beyden frommen Männern entbrannte, und dermaßen zunahm, daß sie auch mit einem Missvergnügen von einander zogen. So leicht kann es geschehen, dass auch die frömmsten Menschen je zuweilen einer unbilligen Begierde zuviel einräumen, und ihrem eigenen Kopfe, dieses oder jenes Interesse halber, dermaßen nachhängen




mögen, dass sie eher das hohe Gesetz der Liebe Noth leiden lassen, und die Bände der Freundschaft verlezen, als davon zuruk weichen wollen.

JOH. REINH. HEDINGER in N. T. ad 1 Joh. II. 18. Mag feyn, dass die ersten Christen und die Apostel selbst gemüthhaftest, der Tag des Gerichts werde eilender kommen, als es wirklich geschehen ist. Dann solchen Tag hat der Vater seiner Macht und Weisheit vorbehalten. Matth. XXIV. 36.

CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIUS in Notis Exeget. in Evang. Matth. p. 14. sq. Est autem vox Inspirationis tam generalis, ut duas sub se species comprehendat, revelationem scribendorum immediate a Spiritu S. profectam, & directionem Spiritus S. immediatam in scribendo, quae Auctores sacros ab omni errore præservavit. Prior modo, quo vaticinia omnia mysteriaque fidei enarrata sunt, omnia scriptoribus N. T. inspirata haud fuere, cum multa scripserint, maxime historica, quae vel ipsi viderant, vel ab auctoritatibus haurerent, ubi tamen, ne in errorem laberentur, necessaria fuit immediata Spiritus S. directio, ita tamen comparata, ut Spiritus S. permiserit aliquando viris divinis, ex proprio ingenio aliqua addere, quae nulla suggestione divina habebant opus. Pertinent huc salutationes Epistolis additæ, mandatum Pauli Timotheo datum de Marco secum abducendo, demittendis penula, Troade relicta, libris & membranis, de vino bibendo ad firmandum stomachum, & quæ alia sunt. Ita porro Paulus Rom. XV. 24. 28. Romanis scribit, se ad ipsos venturum, ubi venerit in Hispaniam, quo tamen nunquam pervenit, utpote Romæ martyrio coronatus. Ita idem ad Corinthios se iturum pollicetur, cum transiturus esset Macedoniam; 1 Cor. XVI. 5. quod tamen iter non confecisse testatur; 2 Cor. I. 15. sq. Scilicet, non cogitandum hic est, Spiritum S. incitasse Paulum, ut haec scriberet, utpote qui bene noverat, Paulum haec itinera nunquam perfecturum. Id quod & de Act. XX. 22. sqq. dicendum, ubi Paulus supponit, se Ephesios non amplius visurum, utpote qui, testante ubivis Spiritu Hierosolymis martyrium subitus effet.

effet. Quod tamen ipsum non ita evenit, Paulus post primam captivitatem Romanam in Græciam & Asiam redeunte, uti luculenter ostendit in Dissert. posthumis Joh. Pearsonius. Conf. tamen Dorscheum in Acta ad h. l. Adjici heic possunt ea loca, ubi Paulus afferit aliquid dubius, vel ignorantiam suam confitetur. Ita 1 Cor. I. 16. scribit, se nescire, num alios quoque baptizaverit, & 1 Cor. XVI. 6. promittit Corinthiis, se forsitan apud ipsos per hyemem permansurum. Eadem ratione Petrus 1 Pet. V. 12. haec habet: per Sylvanum, ut puto, paucis ad vos scripsi. Quin immo & Paulus, ubi Rom. XI. 33. exclamat  $\omega\beta\alpha\vartheta\delta\varsigma$ ; insinuat, se mysteriorum viarumque divinarum rationem omnem non nosse. Quo & id pertinet, 2 Cor. XII. 2. ubi se nosse hominem in Christo ait, in cœlum raptum, sed ignorare, num fuerit in corpore, vel extra corpus. Salutatio Tertiæ Amanuensis, Rom. XVI. 22. vix potuit Paulo inspirari, nec salutationes, quas aliorum nomine addit. Denique affirmant saepius Paulus & Johannes, sperare se, se huc vel illuc venturos, ubi Deus permiserit, id quod sane suggerere non poterat Spiritus S. cui consilium divinum hanc in rem satis cognitum. 2 Cor. XI. 31. I. 23. jurat Paulus, se non mentiri, quod non opus habuisse quibusdam videtur, si credidissent Corinthii, ipsum esse inspiratum vel infallibilem.

Idem ibidem p. 16. sq. Sufficiat omnino dixisse, Spiritum S. saepissime ipsa verba immediate scriptori sacro dictasse, quæ scribere ipsum oportuerat; saepissime vero in concipiendis verbis ipsum direxisse, ne incongruam adhiberet locutionem; aliquando  $\mathfrak{S}$  permisisse, ut in hac vel illa expressione genium suum impune sequeretur. Ita enim fatetur Apostolus, 2 Cor. XI. 6. se esse  $\text{ιδων τω λογω}$ , quæ qualitas utique Spiritui S. attribui non potest, nullamque inspirationem sapit: ut taceam, ipsa Christi verba, eodem, ut arbitror, modo ab ipso prolatæ, diversimode ab Evangelistis saepius referri, & Allegata V. T. in novo non quoad verba, sed quoad sensum saepius dari; id quod luculenter ostendit, in verborum positu revelationem vel suggestionem




immediatam Spiritus S. non quaerendam, sed saltim directionem & permissionem.

Idem p. 25. Demus autem tantisper, *humani quid passos esse viros divinos, quod tamen non damus*; (sermo est de facto Pauli Act. XXI. 5 sqq. & de oratione Stephani Act. VII.) id unum sequitur, Apostolos non inspiratos fuisse ut truncos; atque ex regula generali exceptionem aliquando faciendam, quae ipsam tamen regulam non subruat.

CHRISTIAN EBERHARD WEISMANN in *Diss. Uſus & abusus Censurae Petri Paulinae* p. 21. Hoc semper prætenditur, quando docuerunt *Viri Dei de rebus religionis*, id eos præstitisse φρονεντος ὑπὸ πνευματος ἀγιου, neque Θελησατι αὐθεωπε prolatum fuisse, quod docuerunt, ita ut verbum eorum recte potuerit accipi tanquam verbum Dei. 2 Pet. I. 21. 1 Thess. II. 13. In hoc certe casu non fuit Petrus Apostolus Gal. II. Non obstat, si quis dixerit, exemplum docere, magis adhuc referre, quam voce & scripto: eo enim non obstante, exemplum pertinet ad vitam & actiones, quo usque infallibilitatem, vel potius impeccabilitatem, non extendunt Theologi; alias enim Paulo quoque id donum esset abjudicandum, quia is & Barnabas in ejusmodi inciderunt παροξυσμον, ut alter ab altero discesserit; Act. XV. 30.-- Revera utique cavendum est, ne infallibilitatem virorum Dei, quam practendent & docent Theologi, cum excessu & exaggeratione ita concipiamus, ut veritati & phaenomenis certis minime quadrare videatur. Inspiratio divina sive θεοπνευσια in Viris Dei non erat perpetua, nec in rebus omnibus & circa quaevis objecta. Unde mirum, seu paradoxum nobis videri non debet, si illi in iis casibus, in quibus infallibilis illa θεοπνευσια non aderat, aliquid egerunt proprio suo judicio, ut alii homines, neque semper absque naevo & imperfectione, quemadmodum revera hujusmodi aliquid in facto Petri contigit. Finis θεοπνευσιας & doni infallibilitatis


idem



idem nos docet. Quoties Deus Ecclesiam per hos homines institui voluit, ad firmam & duraturam fidei & morum regulam, semper illi tanquam exercitati non modo in hoc commercii divini genere representantur; sed etiam ut stantes sub singulari  $\Phi\varphi\alpha$  Spiritus, & absque voluntate humana non humanum, sed divinum verbum annunciantes. Id ut semper fieret, & in omnibus, necesse non erat, & potuit in multis ad id, quod sentire & facere conveniebat, gratia quoque sufficiere ordinaria, quae certe & hic sufficeret Petro, si mensura cognitionis suae & recti, quod possidebat, judicii, sine metu & perturbatione fuisset usus, eamque ubique recte & circumspecte applicasset. Hic naevus dono infallibilitatis in Petro non oblitus in aliis, quibus, ad nutum Dei & Salvatoris administrandis docendisque, destinatum erat & necessarium.

JEREM. FRID. REUSS in *Diss. de Refta ratione modoque div. S. S. originem & auctoritatem probandi* p. 37. Quæ igitur Christus plene, aperte, explicate eis dicere non poterat, e. g. de persona & officio suo, de mysterio Dei Patrisque & Christi, Col. II. 2. de amplitudine & oeconomia gratiae Eph. III. 2. 5. 8. de regni sui indole, mysteriis & fatis, de colligendis, constituendis & regendis Ecclesiis, aliisque vel rebus vel dogmatis, quibus & ipsius & Patris gloria manifestanda hominibus & illustranda erat, ista omnia *Spiritus S. eos ita docuit, ut nihil illius cognitionis & sapientiae, quae ad omnem legationis & officii ipsis impositi munus requirebatur, illis defret.* Illud quidem asseri nequit, cognitionem illam omnem fuisse illis confessim, uno illo Pentecostes die, Act. II. aut & omnibus & singulis simul infusam; Act. X. XV. sed illud tamen, ex illis Christi promissionibus, evidens est & certum, omnes eam a doctore suo divino, & unumquemque, quoad & quando & ubi opus fuit, accepisse. Neque etiam id negamus, potuisse eos, extra sui officii functionem per imprudentiam committere interdum aliquid, quod minus laudabile esset. Gal. II. 14.

PHILIPP. DODDRIDGE in der *Abhandlung von der göttlichen Eingebung des N. T. P. XII. des Engl. Bibelw.* p. 74. Ich gesteh freylich zu, und keiner, der aufrichtig ist, kann es läugnen,



dass die Schriftsteller des N. T. wann man voraussetzt, daß sie im Stande wären zu schreiben, blos durch natürliche Anstrengung ihres Gedächtnisses, unter der Regierung eines gesunden Verstandes und der menschlichen Vernunft, eine deutliche, glaubwürdige und nützliche Nachricht von vielen ungemeinen Dingen haben geben können, deren Zeugen sie, als sie mit Jesu auf der Erde gelebt hatten, gewesen waren, und womit sie sich nach seiner Himmelfahrt wirklich beschäftigt haben. Ich kann nicht unterlassen zu sagen: Wann die Wahrheit der großen Begebenheiten, die darinnen vorkommen vorausgesetzt ist, als z. B. dass Jesus von Nazareth eine Lehre durch Wunderwerke bestätigt hat, und selbst vom Tode auferstanden ist: so würde ich diese Schriften, wann sie gleich nur eine aufrichtige Nachricht von demjenigen wären, was diese Leute wohl wußten, für die allerwichtigsten Nachrichten des Alterthums halten, die man nur aufweisen kann. Aber bey Durchlesung dieser Schriften würde es mir aus dem besondern Inhalt derselben sehr deutlich werden, dass redliche und ehrwürdige Männer immer hätten vorwenden können, auf eine solche Weise geschrieben zu haben, wann sie sich keiner höhern Regierung und keines göttlichen Einflusses bewußt gewesen wären. Sed subjungit postea vir eruditus, quibus ex rationibus tamen ex *Geonveusia* fluxisse haec scripta contendat.

JOH. DAVIDES MICHAELIS hanc ipsam religiosissimi Angli sententiam egregie amplificavit, de Evangelistarum *a&gt;xi&lt;xi*, etiam semota *Geonveusia* eorum, ita pronuncians in der Vorrede zur Erklärung der Begräbniss und Auferstehungsgeschichte Christi nach den vier Evangelisten. Hall. 1783. p. XXXV. sqq. Wären nun aber auch die Evangelisten alle vier, in blos historischen Sachen nicht inspirirt, so sehe ich wirklich nicht, was wir dabey verlieren. Wir gebrauchen ja doch ihre Geschichte vom Leben, Wundern, Tode und Auferstehung Jesu gegen Juden, Heiden, Deisten, Irreligieuse, Religionsspötter, zum Beweis, und wie wir glauben, zum überzeugenden Beweis

weiss der christl. Religion, ohne dabey ihre Inspiration zum voraus zu sezen: — ja auch denn, wann wir uns selbst von der Wahrheit der Religion, wie soll ich es nennen, belehren? prüfen? überführen? wollen, sehen wir doch die Evangelisten bloß als menschliche Zeugen an, und begehen nicht den Cirkel in Beweise, der eine logicalische Betrügerey seyn würde, ihre Inspiration zum voraus zu sezen. Also, was verlieren wir, wann wir sie in historischen Factis so ansehen, wie andere Schriftsteller, nicht als inspirirte, sondern als ehrliche menschliche Schriftsteller aus demselben Zeitalter, da die Sachen sich zugetragen haben? — Vielleicht gewönnen wir ehe, wenn wir zugäben, ein Evangeliste habe in historischen Sachen so gut irren können, als andere menschliche Schriftsteller, und Johannes, der Augenzeuge der meisten Handlungen, und der nach ihnen allen schrieb, habe da, wo er ihnen zu widersprechen scheint, wirklich widersprochen, auf eine sanfte Art Fehler der vorigen Erzähler verbessert. Dann wahr ist es doch, ein großer Theil der Einwürfe gegen die christliche Religion gründet sich blos auf Widersprüche, oder Scheinwidersprüche der Evangelisten in Nebensachen, oft in den kleinsten Kleinigkeiten, aus denen man bey andern Geschichtschreibern nichts zu machen pflegt. Auch sehen unsere harmonischen Vergleichungen der Evangelisten bisweilen etwas künstlicher oder gewaltsamer aus, als wir es sonst bey andern Schriftstellern, die einander zu widersprechen scheinen, gewohnt sind, und das lässt im Gemüthe einen unangenehmen und beunruhigenden Verdacht zurück &c.

CHRISTIANUS GUIL. FRANC. WALCH in Diff. de Illum.  
Apost. success. Gott. 1758. postquam plura errorum specimenina enumera-  
set, quibus Apostoli ante miraculam pentecostale tenebantur, qua ex  
periodo nos studio nihil adduximus; cf. supra §. XXXVI. tamen, et-  
iam post illud, illuminationem successivam & continua cognitionis in-  
crementa illis adscripsit. Ita ait. p. 32. Infallibilitas ea orta fuit non  
ex communicatione quadam omniscientiae divinæ, sed ex revelatione,

five



five ex operatione Spiritus S. in intellectum, *qua non nisi ea cognoverunt, quae ut cognoscerent, sapientissimis Dei consiliis conveniens erat.* Neque omnisci*ii fuerunt Apostoli, neque omnia simul cognoverunt; sed perinde ac Prophetae, successive ea intellexerunt, quae diversis quoque temporibus Spiritus S. iis patefecit.* Si haec ad illuminationem referuntur, sic statuendum est, in rebus, quae ad salutem consequendam sunt necessaria, five ad fundamentum, five ad ordinem salutis spectent, tam agendis, quam credendis, Apostolos nulla laborasse vitiosa ignorantia, errore aut prava dubitatione. Nihilominus eorum notitia nec tam perfecta fuit, ut nihil illis esset μυσηγον, (id quod & finitudini intellectus eorum repugnaret, quae nec sublata fuit, nec tolli potuit; & clarissimis Apostolorum effatis v. c. de futuro vitae æternæ statu, 1 Cor. XIV. 12. coll. v. 2 & 1 Joh. III. 2.) nec ita simultanea, ut plane nunquam creverit. Quare recte præcipiunt Theologi, *Apostolos post pentecostale miraculum non mox omnia scivisse, quae tractu temporis in obeundo suo munere usui ipsis esse poterant; sed Spiritum ea iis revelasse, prout ratio temporum & ecclesiae profectus id exigebat.* Et p. 36. Nulla est dubitandi causa, quin sapientiae divinæ maxime conveniens fuerit, non solum cum Apostolis ita agere, ut per gradus quasi ad mirificam doctrinæ christianæ scientiam pervenirent; sed idem etiam posteriorum memoriæ committere, & specimina ignorantiae, errorum, ac perverse dubitationis eorum, litteris consignata ante oculos nostros ponere. Dedit quoque JOH. GEORG. WALCH peculiarem *Diff. de Peccatis Apostolorum.* Ienæ 1725. quam vero non vidimus.

JOH. CHRISTOPH. DOEDERLINUS in der auserles. theol. Bibl. P. I. p. 158. Allein, was für Gefahr entstünde dann, wann wir annähmen, (es ist vom Blinden bey Jericho die Rede) daß einer der Evangelisten, Lucas, der seine Nachrichten nur vom Hörensagen hat, sich geirrt? Alles, was hieraus folgte, wäre, daß die

= = = = =

die gemeine hohe Opinion von Inspiration der Evangelisten ein Stoß bekäme. Nicht jeder Windstoß macht sgleich das ganze Schif lek, daß es untergeht. Quæ eum in finem adducimus, quod & ipsi in ea sumus sententia, nihil decidere divinæ Librorum N. T. auctoritati, etiam si admittatur, in his illisve particulis non *Geonreusw*, adeoque etiam cum errandi periculo, Auctores sacros scripsisse.

*Ibidem* p. 714. ubi de oratione Stephani martyris sermo est: die Inspiration verwahrte nicht gegen Fehler des Gedächtnisses.

*Idem, ib. P. II. p. 858. sq.* Wie viel Dispüte würde wegfallen, wann man lieber den Evangelisten die höchste historische Ehrlichkeit, Treue und Glaubwürdigkeit, als die Inspiration zu vindiciren gefucht hätte. *Wir hätten dann gewiß viel Harmonien nicht, aber auch viele sehr scheinbare Einwendungen gegen die Bibel nicht, bey welchen der Gegner seinen Sieg in der Aengstlichkeit der Harmonisten schon vorher sieht.*

AUGUST. HERM. NIEMEYER in der *Characteristik der Bibel* P. V. p. 278. de Prophetis V. T. ita: Bey andern Vorfällen, wo wir Propheten sich in Staatsgeschäfte mischen sehen; wann Ahia dem Jerobeam, einem, wie die Folge lehrt, sehr mittelmäßigen Regenten, einen Theil des Reichs verspricht; wann Elisa in Hazaël den Gedanken erwekt, sich des Throns zu bemächtigen; wann Hanani die Verbindung Aflas mit Syrien missbilligt; wann Eliefer die mit Ahasja gemeinschaftliche Kauffahrer Flotte für schädlich erklärt, oder wann sonst Propheten in ähnlichen Fällen mithandeln: Denn ists schwer zu sagen, wie fern sie hier immer ganz fehlerlos handlten, wofern wir nicht unaufhörliche Eingebung annehmen wönnen. Es ist wenigstens unlängbar, daß sie Menschen blieben, die irren und fehlen konnten; daß sie, vielleicht in der besten Absicht,

L

(wie




(wie jemand, der an dunkle Vorstellungen gewöhnt ist, und zu viel traurige Folgen erlebt hat) nun nicht fast zu sehr vor nennen zu zittern, in manchen Urtheilen zu weit giengen, nur Eine Seite der Sache anzusehen, jede mögliche Gefahr für eine gewisse hielten. Selbst das Bewußtseyn einer guten Sache konnte sie in einzelnen Fällen zu weit führen, und die Vorsichtigkeit im Reden und Handeln war gewiß bey ihnen von dem Verhältniß der Einsichten gegen den Willen eben so abhängig, als bey einem jeden andern Menschen &c.











l. Religion, ohne dabey ihre Inspiration zum voraus auch denn, wann wir uns selbst von der Wahrheit der soll ich es nennen, belehren? prüfen? überführen? wir doch die Evangelisten bloß als menschliche Zeugen en nicht den Cirkel in Beweise, der eine logicalische Be- würde, ihre Inspiration zum voraus zu sezen. Also, wir, wann wir sie in historischen Factis so ansehen, schriftsteller, nicht als inspirirte, sondern als ehrliche schriftsteller aus demselben Zeitalter, da die Sachen sich ben? — Vielleicht gewönnen wir ehe, wenn wir zu angeliste habe in historischen Sachen so gut irren könne menschliche Schriftsteller, und Johannes, der Augen- sten Handlungen, und der nach ihnen allen schrieb, ha- hnen zu widersprechen scheint, wirklich widersprochen, Art Fehler der vorigen Erzähler verbessert. Dann sch, ein grosser Theil der Einwürfe gegen die christliche set sich blos auf Widersprüche, oder Scheinwidersprü- gelisten in Nebensachen, oft in den kleinsten Kleinig- nien man bey andern Geschichtschreibern nichts zu machen. Auch sehen unsere harmonischen Vergleichungen der E- zweilen etwas künstlicher oder gewaltsamer aus, als wir andern Schriftstellern, die einander zu widersprechen ohnt sind, und das lässt im Gemüthe einen unangeneh- ruhigenden Verdacht zurück &c.

PIANUS GUIL. FRANC. WALCH in Diff. de Illum.  
Gött. 1758. postquam plura errorum specimina enumera-  
postoli ante miraculam pentecostale tenebantur, qua ex  
radio nihil adduximus; cf. supra §. XXXVI. tamen, et-  
, illuminationem successivam & continua cognitionis in-  
adscripsit. Ita ait. p. 32. Infallibilitas ea orta fuit non  
atione quadam omniscientiae divinæ, sed ex revelatione,

five

